DE
L. ANNAEI SENECAE QVAESTIONIBVS NATVRALIBVS ET EPISTVLIS
COMMENTATIO.

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QVAM

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AVCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS

IN UNIVERSITATE FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA

RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

ET VNA CVM SENTENTIIS CONTROVERSIS

DIE XXIV. MENSIS FEBRVARII A. MDCCCLXXII

HORA XII

IN PVBLICO DEFENDET

FRIDERICVS SCHVLTESS

SAXOBORVSSVS.

ADVERSARIORVM PARTES SVSCIPIENT:

G. KAIBEL DR. PHIL.
C. RVEBEL DR. PHIL.
C. REINHARDT STVD. PHIL.

BONNAE

FORMIS CAROLI GEORGI

MDCCCLXXII.

PATRI OPTIMO

S.

I.

Annaei Senecae Quaestiones Naturales quo librorum ordine quibus annis scriptae sint, prima hac libelli parte investigare conabimur.

Apud eos quidem, qui prioribus saeculis duces ac propugnatores horum studiorum fuere, nullae de librorum ordine dubitationes aut coniecturae reperiuntur. Nostro demum saeculo Koelerus (edit. Gotting. 1819) aliquo cum iudicio eius operis formam omnemque habitum circumspexit. Falsum igitur intellexit eum esse, qui in codicibus tum notis ferebatur, ordinem, quin et conatus est ex indiciis exterioribus tum e singulorum natura librorum ordinem genuinum refingere. — Dein Friderici Haasii, principis eorum, qui hac aetate de Senecae operibus philosophicis meruerunt, in multis haec quoque cura fuit. Cuius cum alias discipulus esse malim, hac de re, quantumlibet eius admirer sagacitatem, fieri tamen non poterit quin adversarius exsistam. Is quidem cum primo hanc quaestionem adiret, satis habuit cum alias significare lacunas tum in libro quarto magnum illum hiatum, qui inter caput secundum et tertium intercedit, notare. Nimirum primo eius et secundo capite de Nili aestivo incremento agitur: quae antequam finita sit quaestio, subito necopinantibus grando supervenit neque ante eius libri finem intermittitur. Mancus tamen is quoque commentarius iustique expers est initii. (Statim enim cp. 4, 1 peregisse se propriam quaestionem Seneca significat: at illo uno cp. 3 certe non peregit.) Itaque maiorem lacunam Haasius eo loco rectissime indicavit. Id quoque recte observavit, non posse utique quaestionum tam diversa-

rum in eodem libro pacem et convictum haberi. Quod ipse remedium suasit, ut eo loco, quo contraria male iuncta hiant, quinti libri numerus poneretur et, singulis unione auctis, octo libri computarentur, quamquam et simplex erat et salubre, tamen, ne nimis a vulgato more recederet, ipse non adhibuit aegroto corpori.

Audaciorem cogitationem ac dubitationem idem vir doctissimus a. 1859 animo concepit, quam universitatis suae autumnali programmate publice edidit. Consideravit enim accuratissime, qua ratione Vincentius Bellovacensis in speculo historiali et naturali e Senecae Quaest. Nat., appositis librorum numeris, sententias excerptas afferre soleat. Unde primum constat in Vincentii codice octo fuisse huius operis libros; qui numerus Walteri Burlei [1]) testimonio comprobatur. Duae enim illae libri quarti partes, quas dehinc placet signare notis IV^{a} et IV^{b}, in codice Vincentiano duo fuere libri; id quod Haasius pridem coniecerat. Nec vero quo fragmenta illa IV^{a} et IV^{b} augeantur et restituantur, quidquam licet e Vincentio subsidii sperare; qui nec ampliores nec integriores quam nos hodie habuit libros. At ordinem verum ac genuinum illum habuisse, plurimis illis, qui a Vincentio excerpuntur, locis Annaeanis accurate collatis Haasius sibi videbatur detexisse. Mirum enim: quos ille e libro primo locos se ait excerpere, ei hodie sunt in libri quarti parte altera; quos e secundo collegit, hodie sunt in quinto; ceteri eadem numerorum portione diversis locis reperiuntur. Quae diversitas qualis cogitanda sit placet duplici hac serie ostendere:

numeri Vincent.	1.	2.	3.	4.	5.	6.	7.	8.
numeri edit.	IV^{b}.	V.	VI.	VII.	I.	II.	III.	IV^{a}.

Qui accuratius haec examinaturi fuerint, eis apud Haasium (p. 8. 9. 10), Larischium (p. 13—17), Ionasium (diss. de ordine librorum Sen. philos. Berol. 1870, p. 57) tabulae praesto sunt, quibus singuli loci accurate inter se componuntur. Isti regulae qui non conveniant loci, tam rari sunt et editionum

1) F. 88^{b} ed. Homborchianae.

Vincentianarum habitu tam facile excusantur, ut rei summam eis nullo modo immutari concedamus (v. Haase p. 9).

Postquam de magno illo hiatu, qui est inter libros IV^a et IV^b, disseruit, Haasius p. 8 in hunc modum pergit: 'Vincentius quos flosculos ex Nat. Qu. libris posuit, si quis examinet quo ordine posuerit, facile intelleget, et octo fuisse libros et eorum volumen aliquando male habitum esse, ut et ab initio et in fine folia aliquot vel foliorum fasciculi perirent, reliquum autem volumen, soluta in medio compage [1]), in duas partes dilaberetur, quarum quae priorem locum obtinere debuit, in posteriorem reiecta est. (p. 10) Simul intelligitur, non eiusdem temporis duplex illud damnum esse, quod et ordo librorum perturbatus est et primus postremusque libri alter initio alter fine truncati; sed utrumque vitium cum iam saec. XI in cod. Bamberg. coniunctum esset, necesse est unus certe codex ad Vincentii aetatem propagatus sit, qui servato vero librorum ordine pariter tamen mutilatus esset.' Minus fallacem veri speciem ea habuerint, quibus haec, comparato codice Berol., commendare studet. In illo enim liber IV^a solito suo loco inter III et IV^b omissus [2]) post septimi finem ponitur, hoc addito titulo: 'Incipit liber VIII de Nili incremento.' Hoc vero Haasius ita argumentatur, ut in eo codice, quo primo librorum ordo turbatus sit, octavum certe librum suo numero insignitum fuisse dicat, reliquos aut nullos omnino aut inconstanter adiectos habuisse numeros; illud autem insigne libri, qui est de Nilo, in tanta ruina librario codicis Berol. rectam sedem, eam videlicet quam Haasius Vincentium secutus statuit, commonstrasse. At in his coniecturis ultra quam probabile sit Fors regnat.

Accepta et probata est Haasii sententia eius discipulo Brunoni Larisch. Is quidem ex apparatu critico memorabile quiddam eruit. Etenim I, 15 haec apud Fickertum Haasiumque eduntur verba: 'qui proprios cursus agunt, cometas no-

---

1) Mirari vero iam nunc licebit, quod tam feliciter illa clades cessit, ut nullo verborum hiatu integer liber cum integra praefatione in prius praeciperetur.

2) Causam probabilem infra subiciemus.

stri putant, de quibus dicendum est.' In codicibus vero omnibus 'dictum est.' Verum cum neque in prologo neque in cpp. 1—14 cometarum mentio fiat neque ulla sit ante librum VII eorum commemoratio, quid mirum quod inde a Mureti aetate interpretes mutare aliquid coacti aut 'dicendum est' aut 'dicemus' aut 'dicam' aut 'dein' scripsere et errorem per aeva propagaverunt. At prorsus egregie indicium illud Haasii convenit sententiae; qui librum VII (de cometis) quartum, eum, qui adhuc primus est, quintum in ordine collocarat.

Praeterea Larischio contigit, ut in codice Leidensi eundem illum ordinem, quem Vincentio collato verum ac genuinum esse Haasius dudum concluserat, deprehenderet. Incipiunt in eo codice (L.) Nat. Quaestiones ab initio libri IV^b, septimum excipit primus, extremus est IV^a (cf. Larisch. p. 10). Itaque diversa [1] stirpe se oriundos esse duo illi, Vinc. et Leid., quasi fronte ipsa ostendunt. Decrevit igitur Larischius, fuisse olim codicem communem omnium radicem, quem X ipse appellat, unde duo apographa, Y et Z, fluxerint: Y, unde Vinc. et Leid., servasse ordinem genuinum; codicem Z, fontem illum quidem Germanicorum, isto modo in duas partes divulsum, membraque eius a medico indocto perperam coniuncta esse, ut quod caput esse deberet, pes fieret. Tamen ne de falso quidem illo ordine codicum eius stirpis (Z) omnium consensum esse; differe Berolinensem (v. supra), nec minus Guelferbytanum, in quo ei, qui in editionibus habentur tertius et quartus, male in unum coaluerint. Denique codices LV affines esse, etiam lectionibus utriusque inter se collatis effecit; ita tamen, ut eos non ex ipso Y fluxisse censeat, sed ex aliquo libro natu minore, in quem iam vitia quaedam stirpis Z ingesta essent.

Haasii sententia quibus fundamentis nitatur, quibus defendatur argumentis, his iam videmur iuste et aeque explanasse. Quae multa gravissimaque esse Ionasius (p. 59) agnovit et anxie tantum audet labefactare. — Adeone multa fuere

---

1) Alterius stirpis sunt nobilisimi cdd. Berol. Bamberg. Würzb. Guelferbytanus: quos, si quid de omnibus commune praedicandum erit, uno nomine placet appellare Germanicos.

Haasii argumenta? Illud enimvero e l. I. cp. 15 haustum indicium, quo eum librum septimo posteriorem fuisse docemur, ille vir doctissimus nondum noverat necdum Leidensem codicem contulerat. Ea [1]) igitur re, si recte sentio, Vincentianus librorum ordo Haasio statim commendatus est, quod rectum numerum (VIII) apud illum repererat. Praeterea, quae deperdita erant, ab initio fineque codicis videbantur facile potuisse deperire. Mihi vero non difficilius est cogitare, media folia quam extrema Fortis iniquitate hominumque stulta violentia abrepta esse. Quod in tanta fatorum ruinarumque serie certe non semel [2]) codices tulerunt.

Quidni igitur contentus fuit, lacuna cognita fragmentis illis IV^a et IV^b diversas librorum notas (IV et V) inscribere iustumque inde octo librorum numerum efficere? Mihi enim persuasissimum est, iuste considerantibus per se aequilibrium constare inter duas lances, quarum in una monachi Francogallici, altera codicum omnium Germanicorum auctoritas pensitatur; Haasium demum gladio audacter iniecto alteram depressisse. Quae ratio paullulum sane immutari videtur, postquam Larischius sua attulit. Leidensi quidem codice non adeo adiuvatur Vincentius, ut tot adversariis, quos inter et antiquissimus testis Bambergensis est et optimus Berolinensis, iam evadat superior. Maioris momenti est, quod indicio illo (I, 15) familiae Y auctoritas videtur accrescere. Verum de eo quidem hoc unum nunc monuerim, soli libro primo, postquam illud erutum est, sedem post septimum vindicari; nec licere statim de secundo tertio quarto (VI^a) inde iudicare.

Iam vero Galli Batavique auctoritatem eo infringere conabor, ut demonstrem, quantae, si istum ordinem (IV^b. V. VI. VII. I. II. III. IV^b) cum Larischio Haasioque acceperi-

1) Una res quae commendavisse istum sane videtur, quod in Berolinensi liber IV^a (de Nilo) aeque atque apud Vincentium sedem octavam tenet, proprie tamen non debuit facere; quoniam (coll. IV, 1, 1.), apertum est neque Haasium ipsum fugit, falsam eius esse in Berol. sedem.

2) Cf. Fick. praef. ad libellum de otio. Vol. III, 197.

mus, difficultates sint oriturae. — Apud illos opus Naturalium Qu. a fragmento incipit, desinit in fragmentum. Melius id quidem haberi videtur in editionibus, quae sunt ad familiae Z auctoritatem confectae. Caput ibi certe operis non desideratur, neque id quod exstat indignum toto aestimandum est.

Ad hac totius operis praefatione primum sumo argumentum, quod sane intelligo non ita ut Euclidea dogmata accurata conclusione confirmari posse. Collaudat enim Seneca ac verborum sententiarumque splendidissimo ornatu commendat omnes de rerum natura deque universo quaestiones — quarum paene divinam dicit esse sublimitatem — ; causasque exponit, cur mens humana eis delectetur, denique quid inde lucri habeat. Communia illa, quibus §. 1 philosophiae partes duas, alteram divinae, alteram humanae, constituit; quae deinde de horum studiorum praestantia in universum dicit, ea fatendum est praefationi t o t i u s operis vel aptissima esse: si quid voluerit praefari, tale haud dubie fuisse exordium instituendum. Haasius Larischiusque, cum libro primo quintam sedem dederint, in medium quaestionum decursum ea relegaverunt. Difficultatem nullam viderunt: neuter prologum illum tetigit. Sed comparemus reliquorum praefationes librorum. Quae tertio praemissa est, ea quoque ex philosophia haurit sententias generales; sed quae statim ab ipsius auctoris rebus profectae nullo modo ad sublimem illum cogitandi quasi gradum assurgant, praeterea procul sint ab illo eloquentiae ardore et impetu. Quarti praefatio ad Lucili vitam vitaeque condiciones spectat. Sexto ab ipsa Pompeiorum clade, de qua dicturus est, exordium instituit. Septimi initio quae de siderum caelestiumque miraculorum contemplatione dicuntur ad certum finem spectant, quandoquidem de cometis eum librum scripturus est. Diversa sunt illa in prologo dicta de universo et de animo humano eius contemplatore et admiratore. Ac maxime illa quae in fine eius exponit ‘quanti aestimas ista c o g n o s c e r e ? . . . . haec i n s p i c e r e haec discere his incubare nonne transsilire est mortalitatem suam ?’ persuadent mihi, talia et dicenda et dicta fuisse, p r i u squam istam naturae inspectionem ac descriptio-

nem institueret, non posteaquam quattuor iam de rerum natura libros conscripsisset. Ideo numquam ea patiar ad cuiusquam iussum et arbitrium loco suo moveri.

In libris manuscriptis nusquam praefationibus singulorum librorum suum ius tribuitur, sed statim numerus uniuscuiusque indicatur. Berol. Guelf.: 'Incipit liber primus.' Uno in Bambergensi atque hoc uno loco haec leguntur, quae nostrae sententiae vel maxime favent: 'Prologus Annei Senecae Cordubensis in librum de naturalibus quaestionibus ad Lucilium:' id quod haud leve videtur esse indicium ut in codice omnium vetustissimo, cui, ut ait Haasius (praef. VI.), non desunt exempla scripturae ex aliquo vetustiore et integro libro propagatae.

Libro ei, qui in edit. est tertius, septimam sedem Haasius tribuit. Audiamus praefationis exordium: 'non praeterit me, inquit, quam magnarum rerum fundamenta ponam senex, qui mundum circuire constitui cet. (§. 4) Faciamus quod in itinere fieri solet: qui tardius exierunt, velocitate pensant moram cet.' Haecine dici potuisse putabimus, postquam sex libri iam confecti essent, minor numerus restaret? Immo quod fundamenta operis se ponere scribit, documento nobis est, inter initia eum tum versari, necdum a primo exordio adeo remotum esse. Videbimus nos quidem librum illum (III) etiam propius ad initium esse admovendum.

Non magno equidem cum pondere id adiecerim, quod tamen haud immerito quispiam dubitaverit, aptumne adeo et commendabile fuerit ei qui Italiae felices regiones incoleret, ut harum quaestionum librum primum de grandine institueret. Graviora praesto sunt. Etenim sicuti Haasii illam ὑπόθεσιν eodem fere tempore atque ea, quae Ionasius p. 58 contra illum dubitanter protulit, ipse cognoveram, ita quae contraria ego sentirem, inde primo profecta sunt, ubi ille vir egregie doctus felici impetu coeperat, mox tamen inter initia desierat. In eo libro, qui in edit. secundam, ex Haasii sententia sextam sedem obtinet, omnis de universo quaestio in tres partes, caelestia sublimia terrena, dividitur. De terra quam quaestionem acturus sit, eam §. 4 exponit cur non tertiae parti omnem ascribat: 'Propria quidem terrae, inquit, . . . ,

terram sequuntur et in imo collocabuntur; at ubi quaeretur, quis terrae situs sit, qua parte mundi consederit, quomodo adversus sidera caelumque posita sit, haec quaestio cedet superioribus et, ut ita dicam, meliorem condicionem sequetur.'

Rectissime Ionasius ad futura illa animum attendit. Quae si vera ac genuina sint, apparere, cum huius libri ('sexti') prooemium scriberetur, Senecam primam partem de caelestibus nondum absolvisse in prioribus; atqui neque in eis qui supersint duobus, (qui hodie sunt III et IV[a]), illa commemorari: unde effici ut tota pars prima omissa esse videatur. At, quae libro septimo et primo (sec. Haasium IV et V) de cometis et de ignibus aetheriis exponit, ea tamen cur non caelestibus ascriberentur, neque Ionasius intellexit neque ego causam probabilem detexi. His dubitationibus difficultatibusque quamquam Haasii sententiam valde labefactatam Ionasius existimat, tamen de vero librorum ordine ipse desperat.

Sed audentes Fortuna iuvat. Rerum divisionem, qualis II, 1 habetur, sexto demum libro institui, cum per se difficile videatur, tum futura [1]) illa si respexerimus erit plane incredibile. Accedit, quod ea quoque pars, qua de sublimibus acturus est, futuri, i. e. temporis nondum absoluti notione significatur. Scribitur 'quo de tonitribus fulguribusque [2]) dicturus es.' At in ordine Haasiano librum sextum ('III') quem di-

1) 'Collocabuntur' cod. omnium, 'cedet . . sequetur' optimi testimonio confirmatur; neque ad rei summam differunt praesentia.

2) Fulgura mihi videntur h. l. pro fulgoribus recipienda esse. Cod. G. mecum facit. Fulgores — eos quos libro I tractavit, — i. e. arcus caelestes, παρήλια, σέλα, alia, pertinent ad res caelestes. Tonitrua ad μετέωρα, cf. Dial. XII, 20, Ionas. p. 59. At de tonitribus fulguribusque et fulminibus in libro II, qui ad res sublimes spectat, coniuncta est quaestio.

Similiter I, 15, 3 fulgura sunt restituenda. Ineptum enim, cum fulgorum variae species distinguantur, unam earum generali nomine §. 3 appellari 'haec fulgores dicuntur'. Si vero eam speciem vellet κατ' ἐξοχήν generis nomen tenere, utique id indicandum erat. Fulgura aptissima esse cognoscitur ex ea, quae additur, descriptione. Errorem facillime oriri potuisse, qui librariorum ψυχολογίαν sapiunt, non dubitabunt concedere.

serte ipse II, 1, 3 μετεώροις adscribit, praecedere illam dispositionem monendum est. Hoc igitur videtur certum esse, summam rerum ac rationum discordiam isto ordine statuto cieri. — Aliud praeterea futura illa verbi tempora nobis persuadent, esse illam divisionem materiae scriptori propositae. Differamus nunc quaerere, num omnia illo loco promissa vere perfecerit; unum teneamus, tum cum illa scriberet, eo consilio fecisse, ut rerum sibi tractandarum fines describeret. Cp. II initio quae communia se praesumere velle dicit, si quaeritur cui rei praesumpturus sit, respondendum item erit: ei disputationi, qua singulas partes supra constitutas persecuturus sit, i. e. reliquis libris omnibus. Itaque dispositionem illam nullo loco nisi primi [1]) libri initio institui potuisse mihi pro certo est.

Hoc loco laudanda sunt, simul restringenda Koeleri hac de quaestione merita. Is enim primus vidit, libro secundo eam quam nos vindicavimus sedem deberi. Tamen quae in 'disquisitione de N. Qu.' hac de re protulit, ea omnia nimia haesitatione atque inconstantia laborant. Qui quidem p. 252 ut demonstret, Senecam non habuisse consilium systema omnium naturalium condendi, nec debuisse res omnes illa dispositione propositas tractare, causam sumit ipsum locum argumenti N. Qu. praeposterum; quo 'obiter neque suo loco allato se sibi regulam, quam in scribendo sequeretur, figere noluisse Senecam indicare'. Postea vero p. 256 praefationi libri secundi primum deberi locum dicit, librumque ipsum, cum ab illa dirimi nequeat, in eundem referendum esse. — Quae dein de ordine librorum statuit, isti principio sunt contraria. Ipse enim quod antea recte abnegarat systema Senecae intrudit, ac, prout libet, ordinem inde struit. Sic enim ordinat: II, I, VII, IV^b. — V, III, IV^a, VI, atque addit 'ita haberemus octo N. Qu. libros, quorum IV sublimia, IV terestria tractassent'.

At neque cur librum VII et I non ad caelestia referat, neque alterum intelligitur, cur neglexerit id quod in promptu

---

1) Quis autem est quin memoria comparet illa Iulii Caesaris decantata pueris verba B. Gall. I, 1?

erat, ipsum Senecam II, 3 quaestionem de terrarum motu ad sublimia referre. Mira denique ea sunt, quibus hanc finit disquisitionem: 'Utinam codex aliquando protrahatur in lucem, qui his fidem faciat; certa enim firmaque esse nequeunt per ea, quae de consilio auctoris in scribendo superius scripsi'. Codex sane novus in lucem editus est, sed qui etiam magis, quam ille fecerat, hanc turbaret quaestionem. Sed iam ad nostra reverti nobis liceat, pollicitis tamen, si qua Koeleri sententia dehinc memoranda sit, suum ius ei non abrogatum iri.

Postquam argumentorum necessitate coacti sumus, ut libro secundo primam sedem vindicandam esse statueremus, iam placet illi hanc commodare sedem et adaptare. Quam meminerimus oportet adhuc occupari. Sed qui nunc occupat, haud invitus cedet. Etenim ipsos codices iam supra vidimus I, 15 prodere, libro illi (I.) post septimum, qui est de cometis, suam esse sedem. Sed ne quis statim me interpellet, sunt sane, quae inter librum istum et prologum totius operis verborum quendam conexum efficere videantur. Sed libet ea accuratius intueri.

Magnis et elatis verbis prologus defluxerat; idem profundo ore exit: 'Quid tibi, inquis, ista proderunt? Si nihil aliud, hoc certe sciam, omnia angusta esse, mensus deum.' Sequuntur in libris omnibus haece: '*sed haec deinde. Nunc ad propositum veniam opus.*' At tria ista primus Gronovius vidit et falsa esse et admodum inepta; quippe quae legentem, prologo illum quidem ad caelum elevatum, subito e nubibus praecipitem deiiciant. Nobis vero longius progressuris licebit statuere: eum qui illa 'sed haec deinde' adiecerit haec quoque 'nunc ad propositum veniam opus' addidisse, quo inter prologum et librum de ignibus aetheriis, falso istuc delatum, coniunctionem quandam et transitum efficeret. Cui nos gratias agimus, quod tam rudem et, u. i. d., ligneum pontem struxit: nempe eo facilius nos illo deiecto ponte inter prologum et eum, de quo quaeritur, librum (I) latum flumen ceterorum librorum omnium possumus intermittere. Utraque illa elocutio coniunctiva ficta est et spuria. Liber primus post septimum collocandus est: quo loco sine ullo praefationis ornatu

medias in res scriptor perrexisse putandus est, aeque atque in libro quinto [1]) fecit, quem his incipit: 'ventus est fluens aer.'

Prologo illi, quem principem omnium esse supra confirmavimus, eisque quae de universo praefatur (cf. §. 15), aptissime adiungi videntur ea quae sunt in fronte libri secundi: 'omnis de universo quaestio' cet.; quaeque in fine cp. primi (II, 1, 5) sunt, eis, nisi egregie fallor, ad illa respicit, quae de mente humana in prologo (§. 7 et 17) similia dixerat. Dein quae sequuntur, quibus quaestionem de aere se praesumpturum profitetur (II, 2, 1), eis huius libri principatum Koelerus quoque vidit vel maxime defendi. Denique huic ordini a nobis statuto unice conveniunt illa, quae initio libri olim tertii nunc secundi leguntur: 'non praeterit me quam magnarum rerum fundamenta ponam senex.'

Iam vero rogati, quomodo factum esse videatur, ut liber octavus in principem locum praeciperetur, quod sententiam dare audemus: non veremur ne quis maiorem nos fidem inventis nostris arrogare arbitretur, quam de talibus rebus coniecturae possint utique consequi. Probabile sane videtur, eum, qui in suum usum antiquissimis temporibus Nat. Quaestiones describeret, cum uno conspectu legere vellet ea quae libro VIII de ignibus fulgoribusque aetheriis et primo de fulguribus fulminibusque traderentur, alterum alteri admovisse. Fuisse revera tales traiectionum causas patefit e cod. Bambergensi, cf. Fickert. III, praef. p. VI. v. 14.

Secutus igitur est post prologum liber II, dein III. Colligamus quae de reliquis sciamus. Sextum post quintum esse scriptum cognoscitur coll. V, 14, 4; VI, 1, 3; VI, 23, 4 (Ionas. p. 59). Septimum sexto posteriorem esse, aliquo indicio videmur nos quidem probare posse. Etenim cum saepius in utroque Helices et Buridis recurrat mentio et Callisthenis verba saepius commemorentur, primo quidem loco VI, 23, 4 amplius de eo disserit '*Callisthenes in libris, qui-*

---

1) Nimis audacter Haasius praef. p. IV huius libri praefationem amissam statuit, immo sat multis locis eius l. ad virtutem moresque simpliciores commendandos digressus (cp. 15 et 18) Seneca proprio prooemio non eguit.

bus descripsit, quemadmodum Helice Burisque mersae sunt, quis illas casus in mare vel in illas mare immersit, dicit'. Altero loco VI, 26, 4 mero nomine Callisthenes appellatur, item tertio VII, 5, 3. 5; quippe tum legentibus satis iam notus. Itaque illum locum VI, 23 merito statuemus omnium primum esse, unde eum librum septimo priorem esse cogitur. His si addimus, id quod supra demonstratum est, septimum excipi primo, quattuor iam librorum seriem certam confirmavimus: V. VI. VII. I. Tertius autem libro IV[a] iuste continuatur (coll. III, 1, 2. IV, 1, 1); item tertium quam artissime ad initium totius operis alligari novimus. Unum, qui superest, librum IV[b] non est cur a communis cladis socio IV[a] divellamus. — Hoc igitur, ut iam ea, quae Larischius de codicum ratione exploravit, in nostrum usum vertamus: hoc, inquam, videtur certum esse, fuisse olim, postquam liber primus suo loco iam motus esset, libros octo N. Qu. eo perscriptos ordine, quo nunc in editionibus habentur. Tum e libris IV[a] et IV[b], qui illo tempore erant IV et V, foliorum aliquot fasciculi abrepti commune codicis totius damnum traxere; qui compage solutus in duas partes divulsus est. Quas qui descripsere, eorum unus Z recto ordine volumen utrumque legit ac scripsit; unde cod. Germanici originem duxere. Alteri Y falsus ille, qui in Vinc. et Leid. codice conspicitur, ordo debetur.

Haec quidem ad summam pertinent. Quibus nonnulla videntur addenda esse. Ac primum adversarius ipse (Larisch p. 43) videtur tacite concedere, eam stirpem, cuius nos rectiorem esse ordinis rationem demonstravimus, esse primariam et quasi maiorem natu. Ipse enim fontem suorum codicum LV declarat vitiis quibusdam stirpis Z fuisse iam contaminatum. Numerorum quoque additorum ratio est in Leidensi haud dubie ad exemplar alterius familiae constituta (p. 33). De hac autem stirpe Z singularia quaedam monenda sunt. In libro Bamberg. (et Nicot.) omittuntur omnia quae sunt inde a l. III, 25, 5 usque ad IV. ex.; ideoque cum et l. IV[a] totus et initium IV[b] deesset, consentaneum erat libr. III et IV[b] coniungi, tum l. V appellari quartum, v. Fickert praef. vol. III. p. 6 med.-app. crit. 606. In Berolinensi vero l. III

est integer; IVᵃ suo loco omissus post finem additur sede octava. Monet autem Haasius praef. vol. II. p. 4, eundem Berol. in ultima parte l. III et in praefatione l. IVᵃ deteriorem esse quam alibi soleat. Harum rerum apparet esse inter se necessitudinem quandam et conexum; quamquam nemodum id curavit. Haasius librum IVᵃ singulari quadam forte putabat in sedem octavam delatum (v. s.). Mihi vero certum est, maiorem aliquando in codice omnium archetypo lacunam fuisse; cum magna illa clade non solum ei qui plane deperditi sunt chartarum fasciculi, sed eorum praeterea, quae hiatum illum inter IVᵃ et IVᵇ proxime antecederent, folia aliquot (III, 25, 5 — IV, 2 fin.) simul abriperentur; haec tamen non, ut illa, deleta et exstincta, sed tantum in alienum locum, fort. eiusdem codicis, delata esse. Atque ea quidem, cum archetypum commune libri Bamb. et Nicot. (?) scriberetur, aliena etiamtum fuerunt: constabat codex primarius his partibus: I—III, 25, 5 . . . IV, 3 — VII f. Reperit ac reduxit illa, qui Berol. et Würzb. codicum archetypum exaravit. Qui cum iustum eorum locum facile detexisset, libro tertio quae deessent supplevit; dubitavit tamen de l. IVᵃ, cuius nullum videret cum eis, quae de grandine postea dicuntur, conexum. Itaque is liber aut tum ipsum, ne reliquorum ordo interturbaretur, in finem relegatus, aut tum quidem omissus est; ascriptus autem a posteriore librario, qui interim ex alio codice pleniorem operis formam cognosset. Tum demum exulibus restitutis familia Z alios generavit librarios, qui eius ordinis auctores facti sunt, quem — vero proximum — in libris aetate inferioribus (G. aliis) et in editionibus habemus I—IVᵃ, IVᵇ—VII. Nata est et spuria proles Y, quae inverso ordine descripsit duas totius partes: IV—VII, I—IVᵃ. Nescio num certiora umquam statui queant. Unum certum est, non fortuito codices Bamb. et Berol. in l. IVᵃ omittendo congruere; sed aut nostro aut consimili modo eam explicari concordiam testium optimorum. Ceterum difficile est diiudicare, cum neque archetypa ipsa diversorum illorum generum inspicere liceat, unde cognoscatur, quid primarium quid suppletum et postea ascriptum sit; praeterea parum perspiciatur, quatenus diversarum familiarum inter se commer-

cium et contagio pertinuerit (qua de re nonnulla exploravit Larischius p. 43 et 46). Feliciter tamen actum est, quod iudicium nostrum de genuina sede libri IV[a] non a librariorum negligentia aut fortis ludibriis pendet, sed Seneca ipse IV, 1, 1 artissime eum ad superiorem librum alligavit.

Quae adhuc exposuimus haud scio an futurum sit ut etiam magis confirmentur ac commendentur, si de tempore, quo opus Nat. Qu. compositum sit, disquisiverimus.

Ante Ionasium viri docti omnes e l. VI. cp. I collegerant anno 63 istum certe librum compositum (cf. Ionas p. 52. 53). Refert enim Seneca, eum terrae motum, quo Pompeiorum urbs consedit, fuisse Non. Febr. Regulo et Verginio Consulibus, i. e. anno 63 (cf. Tac. XV, 23). Tacitus ipse quod eum motum anno 62 attribuit, minoris momenti [1]) esse illi putabant. Tamen eius auctoritatem Ionasius vetat temere sperni. Accurate is quidem comparavit VI, 1, 13 et VII, 28. Illo loco (VI, 1, 13) anno priore in Achaiam et Macedoniam scribit Seneca eandem cladem, quae tunc ipsum Pompeios vastaverit, irruisse. Achaiae autem Macedoniaeque tremor quando fuerit, Ionasius ait cognosci ex l. VII. cp. 28: 'Non statim cometes ortus ventos et pluvias minatur, ut Aristoteles ait, sed annum totum suspectum facit. Ex quo apparet illum non ex proximo quae in proximum daret signa traxisse, sed habere reposita et compressa legibus mundi. Fecit hic cometes, qui Paterculo et Vopisco consulibus apparuit, quae ab Aristotele Theophrastoque sunt praedicta. Fuerunt enim maximae et continuae tempestates ubique: at in Achaia Macedoniaque urbes terrarum motu prorutae sunt'. Consules Paterculum et Vopiscum recte a Borghesio [2]) anno 60 dicit ascribi (nec dubium est, coll. Tac. XIV, 22). Atqui

1) Martensius (de S. vita et tempore quo scr. philos. comp. sint. Altona 1871. p 45) putat Merivalium recte iudicare, qui concordiam horum ita efficere studet, ut illos motus a. 62 fine incepisse, anno 63 desiisse dicat. At VI, 31 satis apertum est, per complures sane dies eos fuisse, sed post Non. Febr. continuatos.

2) Cf. Orelli-Henzen, inscr. 5407. Borghesi, Bull. inst. arch. 1846. p. 174. Gervasio, Iscriz. di Napoli p. 39.

cum Achaiae cladem illo cometa praedictam esse Seneca eo loco scribat, eundem docere, non amplius anni spatium inter cometen et cladem ipsam intercessisse. Itaque cometen a. 60 ortum, cladem Achaiae a. 61, Pompeianam quae anno post Achaicam insequenti facta sit (VI, 1, 13), anno 62 fuisse sibi videtur demonstrare. Hoc quoniam cum Taciti testimonio convenit, Ionasius non dubitat, consules a. 63, a Seneca illos VI, 1 nominatos, Regulum et Verginium de medio tollere.

Haec statim legenti audacius iudicata esse mihi visa sunt. Deinde gavisus sum, quod ei, qui in ind. Philol. III, 5 (1871) Ionasii dissertationem recensuit, non modo de laudibus illi tributis, verum etiam de erroribus, qui haud dubie nonnulli insunt, notatis assentiri potui. Probare igitur conabor, causas istas, quibus ea consulum nomina interpolata esse Ionasius collegerat, minime sufficere.

Primum is, quem Ionasius comparavit, locus, initium satirae de morte Claudii, quo quidem interpolatum esse anni finitionem constat, a nostro diversus est. Codices eo carent vitio (cf. Buecheler, Symb. 40, 1). Neque id ad rem pertinet vitium, sed solummodo ad verba tradita. Recta videlicet consulum a. 54 nomina illa ascripta sunt: quae qui in posterorum usum e Suetonio adnotavit, bonum opus sibi facere videbatur. Nostro vero loco (N. Qu. VI, 1) codicum nulla est dissensio, sed in omnibus legitur 'Non. Febr. Regulo et Verginio coss'. Deinde si anno 62 illa fuit clades, cuiusnam hominis interfuisse putabimus, ut falsa nomina consulum a. 63 adiiceret? Aut quis medii aevi hominibus alius fons talis scientiae, nisi Tacitus [1]), is qui ad Marii Asiniique consulatum (62) eam cladem retulit? Immo l. VII cp. 28 id unum Senecae interest, ut non statim cometen ortum tempestates significare demonstret; quin eum sic ait denuntiare futura, quomodo illa quae Chaldaei canunt, quid stella nascentibus triste laetumve constituat. Alterum vero Aristotelis est: annum totum cometa orto fieri suspectum. Tum quod pergit

1) Huic vero scriptori non multum laudis detrahemus, si paucorum mensium errorem eum commisisse putaverimus. cf. Nipperd. praef. p. XXI.

'fecit hic cometes, quae ab Aristotele Theophrastoque sunt praedicta': non temporis spatium, sed res solas, quae cometa praenuntio postea acciderint, eum dicere vel eo cognoscitur, quod Theophrastum simul auctorem nominat. Neque igitur quicquam eis significat, nisi tempestates cometen illum praedixisse. Itaque, etsi cometes a. 60 apparuit, tamen Achaicam cladem licebit ad. a. 62 (fortasse ineuntem annum), Pompeianam ad sexagesimum tertium referre. Ceterum cometen illum extremo anno 60 effulsisse e consulis Kal. Octobr. suffecti nomine (cf. Orelli-Henzen l. c.) manifestum est; eundem sex mensibus spectandum se praebuisse Seneca auctor est VII, 21, 3. Quare cum is etiam ad a. 61 pertineat, Ionasium concessurum putamus, posse hac quoque ratione cladem Achaicam ad annum 62, Pompeianam ad 63 iuste referri. Sed iam satis e cometarum cursu tempora definivimus. Unum addere libet. Nimirum ut suam tueretur sententiam, Ionasius debuit ad Haasianum illum librorum ordinem confugere; quem falsum esse nos quidem videmur demonstrasse. Merito enim libri IV partem priorem post secessum Senecae, quem e Tac. Ann. l. XIV novimus anno 62 factum esse, scriptam statuerat. Falsa sane e causa concluserat — e Demetrii Cynici commemoratione; qua de re cf. Append.; — iusta vero haec est, quod etiam III. libri praefatio haud dubie post eius secessum a re publica scripta est. Quam vitae suae commutationem aperte significat §. 2: 'obiiciat senectus annos inter vana studia consumptos': §. 3: 'quidquid amissum est, id diligenti usu vitae praesentis recolligat: facillimus est ad honesta ex poenitentia transitus.' — Alium eius animum fuisse, dum Neronis gratia valeret, immo etiam rationem vitae suae, qualem tum in honoribus rebusque publicis ageret, strenue defendisse e libro de vita beata cognovimus. (Etiam verbis hisce 'nox ad diem accedat', collata ep. VIII, 1, quam eidem tempori tribuendam mox demonstrabimus, singularis lux accedit.) Ionasius igitur, qui per errorem ad eandem veri cognitionem pervenerat, cum librum VI fere initio anni 62, quartum post secessum statuisset scriptum esse, ne male temporum rationes concordarent, librorum ordinem falsum probare hac quoque re fuerat coactus. Nos

vero et illam sententiam nostram hac annorum definitione, et vice versa hanc illa videmur confirmare.

Aliud accedit testimonium, quo sapienter usis etiam ante quem terminum liber IV[a] scriptus sit nobis continget ut definiamus. Accuratius, quam adhuc factum est, perpendenda ea censeo verba quae sunt in praef. §. 20; 'hoc tibi etsi mari dividimur praestare temptabo, ut dubium viae iniecta manu ad meliora perducam et ne solitudinem sentias, hinc tecum miscebo sermones. Erimus una qua parte optimi sumus. Dabimus invicem consilia et non ex voltu audientis pendentia'. Haec ne ad Quaestiones Naturales referamus prohibemur verbis 'sermones tecum miscebo' tum 'dabimus invicem consilia'. De commercio litterarum agi consentaneum est, quod commercium, cum de consiliis dandis et de moribus emendandis dicatur, iure nostro videmur ad moralia referre. Quare existimo Senecam his promittere, epistularum moralium commercium se cum amico initurum esse. Cuius initium infra videbimus ante decembrem mensem anni 62 factum esse. Ergo illam libro quarto praemissam epistulam si paucis mensibus ante scriptam esse statuerimus, proxime videmur ad verum accessuri esse. — Haec igitur sunt, quae de N. Qu. tempore sciamus: librum III scriptum esse post secessum (a. 62 factum); ad eiusdem anni menses posteriores referendum l. IV[a]; sextum, qui est de terrarum motu, eo ipso anno 63, quo Pompei consederunt, videri compositum esse. Quae Martensius p. 47 attulit, ut non multum temporis inter motum ipsum eiusque commemorationem interfuisse probaret (VI, 12, 2. 27, 1. 1, 13), certius nihil definiunt. Immo tantum temporis inde a clade illa praeterlapsum fuisse sumendum est, ut Seneca interim audierit, — id quod VI, 1, 10 scribit — renuntiasse nonnullos Campaniae et post eum casum emigrasse. — In libro VII aliud est temporis indicium, quo illa vel maxime confirmantur. Cometen videlicet illum, qui sub Nerone Caesare in confinio annorum 60 et 61 apparuit, Apollonius Myndius in libro suo commemoraverat, unde sententias aliquas Seneca VII, 17, 2 (cf. 4) excerpsit. Itaque eum librum quam longissime ab anno 60 amovebimus, i. e. ad an. 63 referemus. Ultra

enim ne terminum proferamus, indicium obest haud incertum (cf. Martens. p. 46). Etenim considerantibus, Senecam unam tantum commemorare stellam erraticam, quam sub Nerone viderit, dubium esse non potest, quin eum scripserit librum, antequam alter ille cometes, quem Tac. XV, 47 memorat, effulsit. Quod magis firmabitur accurate perpensis ipsius verbis, quae sunt VII, 6, 1. coll. VII, 21, 3. VII, 3.

Has habuimus quas proferremus temporis definiendi ansas. Nullum eorum, quae reperimus, indiciorum ordini a nobis statuto officit; quibus collectis merito iam statuemus, annis 62 et 63 eos, quos hodie habemus, N. Qu. libros octo compositos esse et absolutos.

Quod supra distulimus quaerere, num Seneca ea omnia, quae illa partium descriptione (II init.) promiserat, perfecisset, id nisi magno harum disquisitionum detrimento videtur non posse omitti. Liceat igitur quae de consilio omnique eius operis ratione sive rebus explorata sive argumentis probata habemus, paucis exponere.

Librorum singulorum haec sunt breviter expressa argumenta: Libro II agitur de aere, tum de fulmine ac tonitru; III de aquis. IV^a de Nili incremento. IV^b de grandine ac nive. V de vento. VI de terrae motibus. VII de cometis. I de ignibus aetheriis. Quos titulos perlustrantibus ultro occurrit, non quasi magnum quoddam et omnibus membris perfectum quaestionum naturalium corpus haberi, sed elegisse auctorem quae sibi res potissimum placerent, de quibus illos libros tamquam *μονογραφίας* scriberet. Veluti peregrinationi illi, quam in Aegypto adulescens egit, apertum est singularem illum librum de amnis nobilissimi *Αἰγύπτου* inundationibus deberi. Similiter de terrae motu quaestio cum in deliciis scriptoris esset, in contextum operis recepta est. (Cf. ea quae ipse VI, 4 scribit 'horum adeo est mihi dulcis inspectio' cet.) Miroque casu insuper factum est, ut illud ipsum in tempus Pompeiana clades congrueret (v. VI, 1, 3).

Eas quas II, 1 constituerat partes tres, neutiquam constanti ordine persequitur. Pertinet enim liber II ad partem secundam, III et IV^a ad tertiam, IV^b. V. VI ad secundam, VII et I ad primam. Frustra Koelerus harum iustum ordi-

nem struere conatus est. Quae conamina eo omnia refelluntur, quod Seneca ipse a secunda parte initium cepit. Itaque singulos libros videtur scripsisse prout liberet vel materia praesto esset, non unam confecisse partem, priusquam aliam aggrederetur. Profecto enim vix unam dispositionis partem in eis, qui exstant, libris habemus omnibus membris perfectam. Nam μετέωρα quidem cum fere ad istam II, 1 propositam normam exacta perfecisse videatur, monendum est tamen, illa II, 1, 2 verba haud dubie lacuna interrupta esse. Terrenis angustum spatium conceditur: aqua tantum, quae quidem in dispositione II, 1, prima erat, suum librum obtinuit. Hanc rem video a Ionasio p. 60 memorari: 'utrum de terris quoque arbustisque Seneca aliis libris temporum iniquitate amissis egerit, an in alia studia distractus opus quaestionum naturalium non absolverit, ignoratur; certe eorum quae desiderantur, ne vestigia quidem ulla supersunt, nisi forte ea, quae Plinius de lapidum et piscium natura ex Annaei Senecae libris excerpsit (Sen. frgm. 6—8) ex amissis tertiae partis quaest. natur. libris hausta sunt'. Sed haec quidem excerpta Pliniana relinquenda erunt ut fuerunt. Priore quidem loco postquam in indice l. IX inter scriptores de aquatilium natura Seneca relatus est, postea in libro ipso de longa piscium vita quaedam ex Annaei Senecae scriptis exhibentur. Talia vero suspicari possis non ex libris quos de rerum natura scripserat, sumpta esse: potuere ea qualibet in epistula nobis deperdita narrari. Alterum in l. XXXVI etiam magis incertum est.

Aliud mihi videtur planius esse vestigium. Ionasius terrena tantum observavit nequaquam perfecta et absoluta esse. At caelestia in eis, qui supersunt, libris aeque atque illa duobus tantum tractata exiguo loco habentur. Iam vero memineris, quanto verborum ornatu II, 1, 4 de terrae situ se hac in parte dicturum professus sit, et explicaturum, quomodo adversus sidera caelumque posita esset. Eandem quaestionem VII, 2 — quibus in cpp. diserte caelestium commentationi praefatur — dignam contemplatione dicit, utrum mundus terra stante circumeat an mundo stante terra vertatur. Nec vero quicquam tale in Qu. N. quaeritur aut excutitur. At

apud Boethium et Cassiodorum (cf. Haase, frgm. VIII, p. 420. — Fabric. bibl. Ernest. II, 123) liber Senecae alias nobis ignotus his significatur: 'Mundus ipse, ut quidam dicunt, sphaerica fertur rotunditate collectus, ut diversas rerum formas ambitus sui circuitione concluderet. Unde librum Seneca consentanea philosophis disputatione formavit, cui titulus est: 'de forma mundi', quem vobis item reliquimus perlegendum.' Hic liber Annaeanus haud scio an ea perficiat fere, quae in N. Qu. opere aegre desiderantur. Audaciusne videmur concludere, hoc esse maioris olim operis quasi quoddam ἀποσπασμάτιον? Ratiocinatio est simplicissima. Scripsisse Senecam eum librum quis audeat infitiari? Aut igitur antea scripsit aut postquam isto modo II, 1 partes argumentaque rerum sibi tractandarum constituit. Atqui si antea scriptum habuisset, vix reperias sanam rationem, cur iterum se rem eandem retractaturum promiserit.

Neque id mihi dubitationes movet, quod Ionasius p. 60 monuit, fortasse in alia studia distractum Senecam opus propositum non absolvisse. Etenim an. 63 epistularum commercium non adeo frequens fuisse demonstrabimus. Vere demum anni 64 multas magnasque de rebus moralibus epistulas scribere incipit. Simul eum tum comperimus (ep. 106. 108. 109) uno opere moralem philosophiam complecti velle; quod opus Lactantii aetate adhuc exstitit. Nec tamen senem ipso teste perquam assiduum ac litterarum studiis deditum nimiis sarcinis videmur onerare, si eodem anno (64) opus nat. qu. continuari potuisse credimus. Scimus quidem eum tum quoque naturae studiosum fuisse. Veluti ep. 79, 1—5 a Lucilio petit, ut de itinere suo per Siciliam facto sibi scribat et de quibusdam rebus, quae ad naturam pertineant, certiorem se faciat: 'in honorem meum Aetnam quoque ascendas.' Quae de vitibus ep. 86, de melle vel Indico vel Italico ep. 84 scribit, haud minus eius amorem naturae rerum studiumque testificantur. Ep. 65 cum difficili materia sese ait contendisse. Poetica studia Peiperus (praef. in Sen. trag. suppl. Vratisl. 1870. p. 18. 19) his putat significari. Videlicet poetam misere laborantem et syllabis numerandis pedes fatigantem animo imaginatus est. Moralia dici non equidem

putaverim; ea nimirum materia nostro fuit vel maxime trita ac consueta. Quid igitur obstat, ne Naturalium opus eum tum continuasse cogitemus? Immo certissime id mihi persuadetur, si accurate perpendo quae sunt in eiusdem ep. §§. 16—20: quibus animum suum tum maxime in rerum naturae contemplatione versari profitetur. Multa praeterea eius ep. verba similia eis sunt quae in prologo Nat. Qu. exposuit. Id quidem constat, permagnum de rerum natura opus senem sibi proponere, cum illa scriberet: 'non praeterit me, quam magnarum rerum fundamenta ponam senex, qui mundum circuire constitui'; nec minus certum est, eos, qui hodie exstant, libros octo tanto promissoris hiatu parum dignos videri. Verum indicia illa colligenti valde probabile mihi est, maius et amplius olim opus ab ipso scriptum esse. Omnia illa, quae proposuerat ac promiserat, num ante mortem confecerit nescimus: si non fecit, Neroni Caesari hoc quoque crimen erit imputandum; qui cum magistri tutorisque sui caput sacrosanctum ad mortem adigeret, posteritati simul ingens intulit damnum et iniuriam. Eum scilicet ante vitae destinatum finem abire iussit, qui tum maxime 'posterorum negotium ageret' ac litterarum opes argenteo augeret incremento. — Singulos libros fortasse statim scriptos Lucilio misit; cuius rei documenta licebit praefationes sumere. Quod non omnes eis instructi sunt (carent enim V et I) haud scio an indicio sit, duos aliquando una missione esse traditos. Atque hos quidem octo libros [1]), antequam alios scribere institueret, ipse videtur collectos in publicum edidisse. Reliqui — quos sicut illos probabile est fuisse quales hodie appellaverimus μονογραφίας — aliquantulum temporis vixerunt. Tandem dispersos ac disiectos, velut grana ventus ab area, abripuit temporum fuga et aevorum per ruinam commutatio.

1) Certe antiquissimis temporibus eos collectos et coniunctos esse constat. Dubitaveris, num ipse fecerit. Etenim si ipsum singulos binosve edidisse, post eius mortem autem amicum quendam sive bibliopolam hanc collectionem fecisse statueris, quid simplicius est et probabilius, quam huic tribuendum esse illum de libro 'primo' errorem?

II.

De Epistularum moralium tempore primus breviter disseruit I. Lipsius, tum duobus amplius saeculis interiectis anno 1853 Lehmannus in Philologi vol. VIII, idem in eo, quem de Claudio et Nerone scripsit, libro (1858). Denique his duobus annis praeter ea, quae Rudolphus Peiper in praef. ad Sen. trag. supplemento (1870) nova adiecit, Alfredi Martens et Friderici Ionas dissertationes mihi occurrerunt, quorum uterque, alter tamen altero felicius, omnem operum Senecae philosophicorum ambitum percurrens suos cuique annos tribuere instituit.

Ego quod post horum virorum merita de epistularum tempore dicturus sum, non id quidem ideo fit, ut omnem quem illi araverunt agrum renovem; sed cum et inter se et a Lehmanno discrepare eos viderem, tum quod ipse me habere arbitrabar, quae etiam Ionasii disquisitionibus vel adiicerem vel detraherem, haud frustra haec tamquam additamenta putavi illorum commentariis subiici. Placet autem, quo facilior eis qui hac in re nondum versati sunt, aditus fiat, in conspectu ponere ea quae illi de Epistularum tempore iudicaverunt. Lipsius scriptas putat omnes annis p. C. 63 et 64. — Lehmannus inter triennium, ita quidem, ut in hunc modum singulas disposuerit: epp. 1—18 ante decembrem anni 62; epp. 19—23 inter dec. a. 62 et ver a. 63; epp. 24—67 inter ver a. 63 et ver a. 64; epp. 68—86 a vere 64 usque ad Iunii mensis a. 64 partem alteram. epp. 87—122 a fine Iunii usque ad Octobrem ineuntem a. 64. (cf. de Claudio cet. pg. 16 et 17.) — Peiperus (pg. 16) intra spatium quod est ab autumno a. 57 usque ad crescentem autumnum a. 58. — Martensius (pg. 61) ep. 50 anno 49; epp. 1—69 (exc. 50) ab anno fere 60 usque ad finem 62, epp. 70—124 usque ad a. 65. — Ionasius Lipsium sequitur.

Peiperus a reliquorum sententia, quos vana ac paene ridicula iactare pg. 14 contendit, longissime discessit. Cuius errores inde nati sunt, quod cladem Lugudunensem (ep. 91, 1. 14. Tac. Ann. XVI. 13) falso anno (58) ascripsit; quam

rem, quoniam Ionasius pg. 62 argumenta eius accuratius examinata reiecit, breviter nobis licebit et obiter tantum perstringere. Confirmavit igitur Ionasius, e Taciti verbis hoc unum iuste posse colligi, incendium illud coloniae Gallicae aut eo ipso anno 65. quo solatium Nero Caesar incolis praebuit, aut proximo certe tempore (64) factum esse. Uter annus praeferendus esse videatur, ipso huius disputationis decursu manifestum erit. Qua autem ratione inter Senecae verba, qui ep. 91, 14 eum annum oppido illi ab origine sua (711 a. u.) centesimum esse dicit, et Taciteum locum in Ann. XVI, 13, qui annum 64 sive 65 p. C. significat, concordia ac consensus fiat, proprie id quidem ad hanc quaestionem non pertinet. Nipperdei certe rationem falsam esse Ionasius p. 63 demonstravit. Peiperus centum annorum numero nimiam auctoritatem tribuit. Fuit quidem ab illorum temporum indole haud sane alienum, numerorum miracula computare et 'Babylonios tentare numeros.' At enim si quid illi Seneca tribuere voluisset, aliquo modo cum id significaturum fuisse persuasum habeo. Nunc vero obiter eum perstringit; neque latet, cur omnino commemoret, modo attenderis ad ea quae sequuntur: 'aetas ne homini quidem extrema; quot [1]) tamen gravissimos casus intra spatium humanae tulit senectutis!' Quod vero Ionasius statuit quodque ipse olim existimabam, paullo laxiore computatione Senecam annos ab origine Lugduni numeravisse, Buechelero minus placuit; qui librariorum culpa accuratam numeri definitionem, quam Seneca olim adiecisset, evanuisse (fortasse propter similes verborum terminationes) scribendumque esse statuit: 'centesimus septimus.'

Quae praetera Peiperus protulit argumenta, illo sunt leviora; quorum communis est error, quod ea, quae prorsus generatim Seneca in epistulis disputat, coniuncta esse arbitratur cum singularibus rebus, quae eo, quem ipse statuit, anno 58 Romae agerentur. Ne id quidem quod latius persecutus est, a Baiarum commemoratione petitum, sufficit. Minime enim demonstravit, epistolas Baianas scriptas esse,

1) Sic enim secundum codicum vestigia ('quod') egregie emendavit Buechelerus id quod antea legebatur v. quae.

dum Neronis gratia pollens Seneca ad aulam moraretur. Immo 'conchyliatos' illos ep. 62 non necesse est cogitari homines aulicos; quilibet vel senator vel eques potuit sic appellari. Ep. 56 quae de molesto, quod sibi elegerit, deversorio Seneca narrat, perperam Peiperus intellexit: non quia cum aulicis ibi esset iique Baias omnes occupavissent, sed ut mentem animumque suum exerceret, istud philosophus noster tumultu magno turbatum incoluit deversorium (cf. finem eius ep.). Ceterum eo anno quo Peiperus illam ep. putat scriptam esse (58) Seneca ni fallor is erat qui praeter ceteros omnes aulicos posset deversoria bona deligere. Deinde falso iste ait quosdam locos ad luxuriam Baianam Neronis referendos esse. Neque enim umquam discipulum suum Caesarem, ne tum quidem cum eius favore destitutus esset, Seneca acrius perstrinxit; nedum eo quo Peiperus voluit anno 58, cum eximia eius amicitia uteretur, tam impudens imprudensve fuisse credendus sit, ut publice conviciis imperatorem aggrederetur.

Alterum temporis indicium habetur epistula octava, quam viri docti fere omnes viderunt vel maxime convenire cum eis, quae de secessu Senecae a re publica, anno 62 facto, Tacitus XIV, 56 exhibet. Martensio vero, negare id conato, respondemus: quae §. 6 habentur verba '*si haec mecum, si haec cum posteris loquor, non videor tibi plus prodesse, quam quum ad vadimonium advocatus descenderem aut tabulis testamenti anulum imprimerem aut in senatu candidato vocem et manum commodarem*' ea aperte docere, non modo studiis magis quam antea Senecam sese dedisse, sed vere vitae suae omnem habitum mutavisse. Cf. VIII, 1. 2. 3 init. — VII, 1 'quorum animi ex longo morbo reficiuntur'; quibus comparanda ea quae de N. Qu. libri III praefatione supra diximus. Quod vero ep. 7 initio turbam hominum sibi quoque nocere scribit, id ne praeter Martensium quemquam fallat, monendum videtur nusquam narrari Senecam, quum instituta prioris potentiae mutaret, statim ab aula ad monachorum quandam vivendi rationem transcucurrisse. Cf. Tac. Ann. XV, 23. XV, 45.

Idem Martensius ex epistularum natura collegit, non

potuisse tot epistulas intra tam parvum temporis spatium, quam priores statuissent, confici. Longa interdum intervalla inter singulas exstitisse; alterum alterius litteras exspectare debuisse, ut respondere posset. Denique cum praesertim longo spatio ab amico amicus divisus esset, per quinquennium fere iudicat id litterarum commercium actum esse. Tale quidem commercium si cogitemus, ut singulis unius ad singulas alterius epistulas responsum sit, ego negare non ausim per tantum vel etiam plus [1]) temporis id continuatum fuisse.

---

1) Senecam quidem scimus epistularum magnam partem ex itinere, quod per Campaniam fecit, scripsisse (49—86); alias fortasse haud paucas e Nomentano suo, quod oppidum hodie non ignotum 'la Mentana' in Sabinis situm Roma distat. M. P. XIV. (cf. tab. Peuting. D'Urban récueil des itinér. anc. p. 208); denique ex Albano suo (cf 123) nonnullas. In aliis (velut 7, 3) sunt Romanae originis indicia. Lucilium Siciliae procuratorem puto Syracusis habitasse; fuit tamen is quoque sive delectationis causa sive propter procurationis officia. variis itineribus occupatus (cf. 2. 1. 48, 1. 69, 1.) Sunt autem Roma profectis et via Appia Capuam usque ac deinde per Nolam ac Consentiam ad Columnam, finem Italiae infimum in conspectu Siciliae commigrantibus M. P. 455 (itiner. Ant. d'Urban p. 31). Inde a traiectu Siciliae Syracusas sunt M. P. 120 (p. 26 et 27), unde summa efficitur M. P. 575. Atque hiberno quidem tempore 'dum pelago desaevit hiems et aquosus Orion' tabellariis totum hoc spatium percurrendum fuit (cf. Beckeri Gallum II, 395); quos, sive pedes fatigaverunt, singulis diebus vix amplius 35 M. P. perfecisse ideoque sedecimo demum die adventasse credendum est; — medium posuimus numerum eorum quos Friedlaender, mor. hist. II, 10 e veterum libris exhibet —; sive equites vel curru vehentes Seneca misit nuntios, qui c. 50 M. P. perficere possent, undecimo die Syracusas eis visas esse statuemus. Nec differt, si amicis isto modo iter facientibus tabulas creditas esse sumpserimus (cf. ep. 3), sive eis, quos publice Caesar Augustus iuvenes tabellarios atque vehicularios per vias militares disposuerat (cf. Suet. Aug. 49); quos sane credibile est Senecae imperiis paratos ac parentes fuisse. — Celerius tanta intervalla superabantur tempore aestivo. Navigabatur enim, si Vegetio V. 9 fidem habemus, a V. Mart. usque ad XI. Nov.: cf. Friedl. II, 11. nec defuisse putamus occasiones, amicis mercatoribusve tabulas mandandi; quas tali modo, εἰ εὐπλοίην δοίη κλυτὸς Ἐννοσίγαιος, quarto quintove die reddi potuisse credimus. Cf. locum Philostrateum a Friedl. lau-

At nisi res ipsae, in quibus epistulae versantur, morales utique alienaeque illae a vitae exterioribus condicionibus, aliter nobis persuaserint, certa tamen in illis indicia Martensii officiunt sententiae. Primum 118, 1 aperitur plures fuisse Senecae quam Lucili epistulas; epp. 82 et 83 duobus diebus continuis scriptas esse 83, 8 cognoscimus; ep. 109 statim post 108 scriptam ipse declarat 108 §. 39. coll. 109, 18 cum 108, 1; 108, 1 cum 109, 17. Itaque cum in plerisque id valuisse videatur principium, ut unam aliquam rem una scriptione quam maxime absolveret, non est cur dubitemus, quin de diversis rebus roganti Lucilio compluribus codicillis Seneca responderit. Talia igitur responsa potuit sex septemve una missione amico tradere, sicuti vice versa ipse amici epistulas saepius pluraliter significat cf. 3, 1. 79, 1. Ceterum etsi singularum commercium fuisse negamus, tamen nihil obstat quin epistulas iustas esse Lucilioque omnes redditas credamus (cf. 118, 1. N. Qu. IV. praef. 20): quidni enim praeter responsa propria etiam ea, quae cotidiana μελετήματα apte Lipsius appellat, amico sapientiae studioso legenda permiserit?

Contrariam Martensio viam Ionasius ingressus triennium a Lehmanno statutum propterea in brevius restringendum esse contendit, quod ipse in ep. 38 frequentare se velle illud epistularum commercium Seneca dicat. At enim in tali commercio per complures annos continuato, si uno aliove tempore tardius inter amicos scriptum et rescriptum sit, eone argumento ita licet uti, ut de cunctarum epistularum tempore sive dilatando sive coartando inde coniicias? Immo ego Lehmanno plane assentior, nisi quod demonstrare ac probare conabor, quae ille secundum mensium indicia simpliciter decreverat. Epp. 1—29 a Martensio Ionasioque recte cognitum est unum

datum. Quocunque modo tabulas amico tradendas Seneca curavit, si computaveris, quantum temporis scribendo et rescribendo, tum tanto intervallo bis permetiundo absumeretur, si memineris. in ipsis epistulis longioris interdum morae indicia reperiri (cf. Martens. p. 59) denique loca ab utroque haud semel mutata adieceris: vix poteris negare, epistularum commercium, quale quidem Martensius cogitavit, neque duobus neque tot, quot ille statuit, annis confici potuisse.

efficere volumen, cuius communis quasi compages sint illae ad finem uniuscuiusque additae mercedulae (6, 7) vel munuscula (10, 5). Unde Ionasius hoc quoque probabiliter conclusit, Senecam undetriginta illas una edidisse. — Octavam Lehmannus iure suo statuerat scriptam esse, postquam (a. 62) negotiorum certe magnam partem. Seneca deposuisset. Quapropter cum ep. 18. December mensis significetur, quid veri similius quam hunc esse anni 62? Ep. 23 veris praeposterum frigus commemoratur, eadem fere veris iniquitas ep. 67 init. Quorum alterum anni 63, alterum ver esse anni 64, — quamquam commoda sua fortasse non omnia perspexit, — rectissime Lehmannus statuit. Alioquin enim, quum de hac certe parte epistularum servati ordinis testimonium haud dubium habeamus, quod neque a fronte totius operis undetriginta priores amovere umquam licebit neque ex hoc quasi corpore membrum ullum abripere: alioquin, inquam, si Ionasium secuti ad eundem annum velimus duplicem illam veris commemorationem referre, verendum sit, ne nimiam multitudinem unius mensis vel adeo paucissimorum mensium spatio tribuerimus. Sunt praeterea in ipsis indicia haud occulta, quae isto anno (63) minus frequentatum esse id commercium doceant.

Quorum primum est illud, quo Ionasium vidimus falso modo uti, quod ep. 38, 1 Lucilium cognoscimus de r a r i o r i b u s magistri epistulis questum esse. Deinde in illam aetatem cadit prius id, quod ep. 28 commemoratur, iter Lucilii; alterum ep. 48 nobis notum est: utrumque admodum longum fuisse dicitur. Tum ep. 50 una memoratur quae post multos menses Senecae reddita sit Lucilii epistula. Denique ipsius Senecae iter Campanum, unde ab ep. 49 eas quae sunt usque ad sexagesimam sextam ac plures etiam conscripsit, eadem tempestate factum est. Quibus indiciis omnibus accurate perpensis quis dubitabit concedere, uno Senecae, duobus Lucilii itineribus interiectis non potuisse tot epistulas intra tam paucos menses quam Ionasius voluisse videtur, confici; quibus [1]) iure nostro integrum anni spatium tribuemus. Ipse

1) Peiperus vero (p. 16) totum epistularum CXXIV volumen intra quattuordecim menses compositum esse statuit!

autem Lehmannus contra semet fecit, quod epp. 49 et 70, quibus Pompeiorum urbs memoratur, coniecit ante Non. Febr. anni 63 esse conscriptas. Neque enim ullam eis fieri mentionem magnae cladis, qua illo die vastatum id oppidum esse e Sen. N. Qu. l. VI scimus; quae clades si iam facta fuisset, non potuisse eam silentio praeteriri. At e silentio scriptorum talia colligere cum alias periculosae aleae esse existimo, tum hoc loco erroris dolosissimum irritamentum. Nimirum in ea quae N. Qu. libri sexti initium occupat epistula satis multa, ni fallor, de illo terrae motu verba fecerat.

Itaque ep. 67 statuemus vere anni 64, fortasse aprili mense exeunte vel maio ineunte, scriptam esse.

In epistulis eis, quae sunt inter duodequinquagesimam et duodenonagesimam, passim reperiuntur quae iter Senecae Campanum prodant vestigia. Atqui per tres quattuorve menses si putaverimus istud iter continuatum esse, non videmus parum temporis computavisse. Unde sequitur, alterum tantum numerum (49—124) temporis cuidam spatio, cuius initium latet quidem, certe tamen incipit ante eius anni vernum tempus (ep. 67), finis autem definitur ep. 122 ('iam detrimentum dies sensit') aequo iure tribui. Scilicet istud epistularum genus, ad commentationum moralium formam ambitumque extensarum, quod fere partem dimidiam totius operis occupat, quid est quin brevissimis intervallis similiter ac librum continuum scriptum esse credamus. Neque enim interveniunt indicia exteriora, velut longiorum [1]) itinerum commemorationes, quae, ut in illa parte, maius spatium statuere nos cogant. Immo quae sunt tempestatum in-

1) Brevia parvaque Senecae itinera significantur interdum; Lucilii circuitus totius Siciliae (ep. 79), quem ut epistulis sibi describat Seneca rogat, idem est atque longum illud iter ep. 48, quod is anno 64 ineunte videtur suscepisse. Ista fere regione (circiter ep. 40) confinium anni 63 et 64 statuerimus. Ultra eum terminum rarum est, citra frequens commercium. Cui frequentiae cave ne ep. 106 §. 1 officere credas; quo loco id unum comperimus Lucilium queri, quod ad certas quaestiones (§. 2) tardius Seneca responderit. Ep. 118 init. id ipsum opprobrium, quod parum frequenter scripserit, diserte Seneca reiicit ac refutat.

dicia aestatem omnia indicant. Ep. 83, 5 in frigidam aquam, sole tamen illam temperatam, ait se descendisse; ep. 84 de itineribus valetudini suae salutaribus scribit; ep. 86, 16 (cf. §. 1) mensem ipse declarat, Iunium iam proclivum in Iulium; ep. 87 rursum iter quoddam significat cum Maximo susceptum: culcitae in terra iacent, Seneca insedit; §. 4 aestatem diserte ipse dicit; ep. 104: in Nomentanum suum confugit: iocose non urbem tantum sed etiam febrem subrepentem se fugisse scribit. Quod ea tempestate factum coniicias, cum illa quae nunc quoque per menses Augustum et Octobrem Romagnae insidet 'aria cattiva', urbi impendebat. (Cf. Hor. Od. III, 29, 9—12. 17—20.) Ep. 110 in eodem praedio eum morari cognoscimus; ep. 122 habentur illa 'detrimentum iam dies sensit.' Ep. 123 in Albanum suum se pervenisse scribit; quod non hieme peti solere suspicamur. Haec indicia qui nobiscum percensuerit, quae non sunt ex certa quadam parte desumpta sed ubique obvia (49—66 cet. iter Campanum; 67 ver inclinatum in aestatem; 83, 84, 86, 87, 104, 110, 122, 123) eum non praeteribit, iure nostro nos eas omnes per eiusdem [1]) anni 64 ver et aestatem ad autumnum usque scriptas esse contendere.

Sed hinc si longius progrediamur veremur ne quis, merito nos interpellans, iustae rationi magis idoneum futurum fuisse dicat, ut priusquam istis mensium commemorationibus ad tempora definienda uteremur antea exponeremus, quo temporum ordine [2]) singulae deinceps epistulae scriptae essent. Ac profecto ita faciendum necessario fuisset, nisi haec quoque de ordine quaestio aliqua parte ex illa penderet. Accedit quod magnas epistolarum traiectiones et ordinis turbationes utique non factas apertum est. Servati quidem ordinis unum documentum iam supra commemoravimus, quod epp. XXIX priorum illud quasi corpus cum propter temporum indicia, quae recentem etiamtunc a secessu Senecam esse

1) Neque impedimento est ep. 118 initium; quem locum accurate intuitis ultro occurrit, non Senecae sed Lucilii significari rariorem scriptionem.

2) Quae a prioribus parum diligenter tractata est quaestio.

significant, tum propter ipsius naturam nec lacerare quisquam audebit nec a fronte totius operis depellere. In ipso autem isto corpore servati ordinis haec Ionasius p. 63 testimonia collegit, quibus confirmatur, decimam post nonam (coll. 10. 1 = 9, 18) vicesimam post duodevicesimam (coll. 20, 3 = 18, 5) vicesimam sextam post duodecimam (coll. 26, 1 = 12) scriptam esse. Alterum autem est quod primo obtutu cuililibet apparet, esse in omni illo Moralium opere eum quasi progressum, ut in priore parte dimidia propria epistularum natura magis quam in altera servata atque expressa habeatur; in posteriore multas ad commentationum formam ambitumque extendi, quarum nonnullae (94 et 95) dialogorum quorundam (I. II. IX) magnitudinem fere assequantur atque exaequent. Illam autem partem merito priorem locum tenere constat, quoniam quidem consentaneum est primo id fuisse auctori consilium, ut iustas scriberet epistulas. Cf. 30, 18. 45, 13 extr. 58, 37.

Haec, quae de servato ordine dixi, ad summam quaestionis pertinere volo: statim enimvero demonstrandum erit, singulis aliquot locis etsi non graviter violati tamen mutati ordinis indicia reperiri. In codicibus quidem eis, qui Fickerto Haasioque noti fuerunt, frustra [1]) quaesieris. Quae vero aliunde, e diverso codice, videbatur huic quaestioni lux affundi: ubi propius fax admota est fumum pro fulgore dedit extincta. Etenim Buecheleri singulari benignitate mihi licuit codicem Leidensem (191 B) a praefectis eius bibliothecae liberalissime huc missum inspicere, qui praeter ecclesiastica quaedam continet e variis scriptoribus latinis, Plinio iuniore, Sallustio, maxime autem e Senecae libris et philosophicis et poeticis excerpta. Quorum quae ex epistulis moralibus desumpta sunt in duas partes dividuntur, quarum in altera exstant excerpta ex epp. 1—88; in altera ex epp. 1—47. Facile autem apparet, eum, qui haec undique decerpsit folia, non uno tenore a prima usque ad ultimam silvae partem proces-

1) De uno illo, quod Haasio (cf. praef. vol. III. p. 6) videbatur esse indicium, infra dicetur.

sisse, sed saepius similitudinibus allectum huc illuc exspatiatum esse nec nisi interdum recta via perrexisse; unde factum est, ut haud semel ad eandem, quam iam antea attigisset, reverteretur [1]).

---

1) Quo ordiue singula procedant, hac in tabula conspicitur, quae aliis fortasse me felicioribus occasionem utilia inveniendi praebebit:

A.

1, 3. 1.	31, 4.	40, 14.
61, 2.	15, 6.	41, 8. 9.
22, 17.	18, 3—8. 10. 12—14.	42, 3. 4. 10. 9.
3, 3.	23, 2.	43, 5.
15, 2—5.	24, 1.	44, 5.
4, 6—8.	25, 4.	45, 1. 5—9.
5, 3. 5.	26, 9, 10.	47, 6.2.3. 11, 15-17.21.
14, 9.	27, 9.	49, 3—6. 9. 12.
2, 6.	28, 10.	50, 3. 4.
6, 5.	31, 5. 6.	51, 4. 5. 8. 9. 10. 13.
7, 7. 9.	36, 4.	53, 8. 9.
9, 9. 13. 15. 17.	62, 3.	55, 1.
2, 4. 1.	68, 1.	61, 3.
3, 4.	69, 1-3.	59, 6. 16. 17.
(benef. VII, 3, 2. 3.)	73, 2. 3. 7. 14—16.	60, 2—4.
17, 3. 4. 5. 3. 7. 3.	77, 3. 6.	74, 13. 14.
4, 10. 11.	81, 28.	75, 4. 10. 18.
5, 5. 6.	83. 2. 5. 6.	76, 1. 3. 18.
6, 4.	84, 1. 2. 3. 10. 11.	78, 5. 12. 29.
7, 1. 2. 7.	72, 3.	81, 5.
8, 1—5. 9. 10.	64, 4. 6.	88, 1—4. 19. 29. 30.
9, 22.	83, 18.	85, 1. 2.
10, 1.	70, 4.	82, 19.
11, 1.	71, 2. 4. 6. 7. 23. 37.	88, 39. 41.
13, 16.	36, 10.	11, 1.
17, 5.	24, 1. 5. 15. 22.	12, 4. 8—10.
58, 22.	22, 25.	14, 7. 8.
65, 16. 21. 22.	25, 2. 5.	31, 7.
66, 2. 12. 16.	27, 2. 3. 8.	37, 4.
22, 6. 9. 11. 15. 17.	28, 9.	38. 1.
23, 2. 6.	30, 10. 12.	44, 5.
14, 1. 2.	37, 4.	49, 2. 12.
29, 10. 11.	39. 2—6.	52, 11. 12.

Mittamus igitur codices, hac in re nihil nos adiuvantes; circumspiciamus quae viri docti iudicarint. Lehmanni unam dubitationem de ep. 49 et 71 iam supra examinavimus, alteram de ep. 14 Ionasius p. 65 repellit; refellit Martensius p. 54. Eam, de qua Martensius dubitat, ipse ait nemini adhuc difficultates movisse; nos vero post illum speramus nemini moturam; sat enim fuit unum labi. Comparat is quidem ep. octavam et quinquagesimam: illius senem esse auctorem, qui ab hominibus et a negotiis secesserit; hac eum se prodere adulescentem, qui summa ope nitatur, ut vitia adulescentiae effugiat. Sic enim legi §. 3: 'non est meum vitium, quod iracundus sum, quod nondum constitui certum genus vitae: adulescentia haec facit'. At enim fugit istum virum philologum, §. 3 certos quosdam hominum quasi ordines memorari isto modo se excusantium. Neque illud 'nos dicimus: non ego cet.', item illud in §. 7 'non est quominus de nobis bene speres' ambiguum esse debebat post illa §. 3 initio verba 'hoc omnibus nobis accidere liqueat tibi'; unde manifestum est, omne genus humanum, omnes, quibus commune est errare, eo comprehendi. Alterum eius argumen-

B.

20, 1. 2.	13, 5.	35, 1. 3.
10, 5.	19, 1. 2.	36, 1.
11, 1—3. 5. 7—10.	28.	8, 6.
13, 4. 8—10.	19, 10.	36, 2.
2, 1—4. 6.	22, 3, 4. 7.	37, 4.
1, 5.	24, 12. 19. 20.	36, 2. 4. 5.
17, 7. 9. 11. 12.	22, 12—16.	28, 10.
18, 3. 12.	23, 8-11.	36, 8. 9. 11.
20, 10. 13.	13. 5.	37, 3.
3, 3. 2—6.	29. 3, 8.	38, 4.
4, 5. 6.	25, 4. 7.	40, 5. 9.
5. 3—5.	26, 6.	41, 1. 6.
6, 4. 3.	29, 11.	42, 1. 2. 7. 10.
5, 9. 8.	30, 2. 3. 8. 10. 12.	43, 2—4.
9.	31, 2—5. 8. 10.	44, 2—6.
14, 7.	32, 1. 2.	46, 10—12.
15, 5. 10.	32, 2. 7. 11.	47,
13, 16.	34, 3. 4.	1, 1. 2.
12, 10.		

tum, longe illud ut fatetur ipse petitum, cum per se 'anile' sit et caducum, tum adminiculo suo privatum dudum cecidit. —

Epistula 75 in uno codice Ottoboniano omissa, in Coloniensi male collocata est post ep. 58. Quorum librorum auctoritatem, alias illam nullius pretii, sperni tamen Haasius vetat vol. III praef. p. VI. Mihi vero certum est, sicuti Haasium et Ionasium (p. 64) et Martensium ita eos homines doctos, qui duos illos codices exaraverunt, non vetustiore aliquo fonte nisos sed Senecae verbis 76, 7 (quo loco ep. 74 'priorem' appellat) deceptos eam epistulam, quae media est inter 74 et 76, loco movendam coniecisse; quae tamen coniectura mihi refellenda erit. Longius rem eandem demonstrare ac novis advectis argumentis maiorem facere traiectionem Martensius (p. 57—59) suscepit.

Miratum se ait, cum epp. 74 et 76 legerit, Senecam notionem boni et honesti non definivisse; pergitque initium ep. 74 prodere sibi visum, alio iam loco eam quaestionem boni honestique antea tractatam fuisse. Quem locum sese detexisse. Ep. 118 (coll. 120) boni honestique haberi finitionem. Hunc igitur fere fuisse ordinem, ut se exceperint epp. 73. 75. 118. (119?) 120. 77—117. 74. 76. 121—124.

At ista viri docti non sufficiunt, ut omnis ordinis fundamenta everti patiamur. Ep. 74 init. quod Lucili epistula memoriam suam evocatam Seneca scribit, vix id quisquam ad quaestiones philosophicas cum Martensio retulerit; in quibus tum maxime omnis eius mens versaretur. Sed ad exteriores res a Lucilio commemoratas aptius id pertinere dicemus.

Definitionem autem illam neutiquam me fateor desiderare. Nimirum omnis ep. 74, dein omnis 76 sola in definitione boni, vel si hoc addere mavis, etiam in honesti notione constituenda versatur. Quae vero ep. 118 de bono honestoque dicuntur, eis, si quid video, respicit ad illas, mea quidem sententia olim missas, epistulas 74 et 76. Id enim, quod in his disquisitione et difficili et duplici effecerat, in illa (118) quasi concessum ac consentaneum proponit; 'nec potest bonum esse, inquit (§ 10), nisi cui aliquid honesti inest et honestum utique bonum est', ac dein §. 11: 'bonum societate

honesti fit, bonum ex honesto fluit'. — Praeterea autem, cum epp. 118 et 120 e sua compage, quae per tot saecula eas tenuerat, Martensius divelleret, minime curavit, esse quendam inter ep. 117 et 118 conexum interiorem, manifestum illum coll. 117, 33 cum 118 §. 3 et 4. Item epp. 74 et 76 sententiarum conexu ad sedem suam alligantur. Cf. 71, 5 et 74 init. Accedunt graviora. Epp. 74 et 76 in earum conexum referendae sunt, quas ex itinere per Campaniam facto Seneca scripsit (v. 76 init.). Eius autem itineris ultima vestigia reperiuntur ep. 86; post in urbem Seneca revertitur; denique relicta urbe in Nomentanum suum se recipit (ep. 104): nullum est iterati per Campaniam itineris indicium, neque iteratum id eadem aestate esse utique probabile. Itaque ep. 74 et 76 numquam patiemur in regiones tam remotas relegari. Immo etiam septuagesimam quintam merito eam sedem tenere nos quidem existimamus.

Ep. 74 quod sibi demonstrandum Seneca proposuerat, unum bonum esse quod honestum; id ne nos quidem eum iudicamus perfecisse. Commendavit eam θέσιν non demonstravit accurate. Idem Lucilium vituperare[1]) audimus (75, 1), quod minus accuratas epistulas Seneca misisset; demonstrationem certam ac collectionibus certis probe confirmatam desiderat. Quod opprobrium ep. 75 Seneca apte refutat: noluisse sese arida ac ieiuna de re tam magna scribere cet. Ab hac defensione ad alias res inter scribendum oblatas digreditur; unde plenam atque integram epistulae 75 conficiendae materiam sumit; alterum differt, nec rem a Lucilio desideratam statim accuratius persequitur. Insequenti demum epistula ad proprium id consilium revertitur; sic enim scribit §. 7 'quare unum sit bonum quod honestum dicam, quoniam parum me exsecutum priori epistula iudicas'. Itaque una missione has duas, 75 et 76, in Lucili manus traditas credimus. Neque illud 'priori epistula' puto cuiquam iam scru-

1) Fickertus edit. I praef. VII de dictionis elegantia neglecta Lucilium questum esse existimat; quale opprobrium illi ingenio amoeno et temporis sui auribus accommodato (Tac. XIII, 3) a discipulo fieri parum credibile est.

pulos iniecturum; facillime enim cogitando suppletur 'priori quam ea de re scripsi epistula'; neque defendendi causa eo recurramus oportet, ut e Lucili, non auctoris ipsius verbis id relatum ac dein etiam §. 26 in verba receptum esse moneamus.

Peractis eis quae peragenda erant, ut ab iniustis virorum doctorum tentationibus epistularum ordo defenderetur, ea iam quae ipse de hac re observavi placet proferre. Ep. 49 initio Seneca scribit, loca familiaria repositum in animo nostro desiderium interdum evocare. Campania, inquit, et maxime Neapolis ac Pompeiorum tuorum conspectus[1]) incredibile est quam recens desiderium tui fecerint. Pompeiorum iterum fit mentio ep. 70, quae sic incipit: 'Post longum intervallum Pompeios tuos vidi. In conspectum adulescentiae meae reductus sum'. Atqui utraque ad idem Senecae iter pertinet. Est enim utraque in longa illa serie epistularum, quibus iter illud, quod per oram pulcherrimi terrarum sinus a. 64 fecit, perpetua mentione persequitur. At vero longum illud intervallum num putabimus paucorum adeo mensium fuisse? Neque enim nisi unum duosve menses sanus quisque coniecerit inter ep. 49 et 70, ex eodem itinere scriptas, interesse. Immo post intervallum admodum longum se Pompeios tunc primo vidisse eis testificatur, quae de adulescentiae suae recordationibus et cogitationibus subiecit. Ac ne quis eas difficultates facile concinnari ac componi posse opinetur: omnis sententiarum necessitudo, praesertim cum in fronte exstent illa 'post longum intervallum P. t. v.', prohibet, ne longius spatium inter ipsum conspectum Pompeiorum et epistulam

---

1) Haec in libris et manuscriptis et editis sic feruntur: Neapolis ad Pomp. tuorum conspectum. Quibus verbis mire conformatis priscum videtur vitium subesse. Quasi vero non Parthenope ipsa sed ea tantum res, quod carum illud Lucilio oppidum Pompeiorum inde prospexerit, desiderium Senecae moveat. Quod vel locorum naturae adversum est. — Utrumque oppidum, et Neapolin et Pompeios, scimus Lucilio carum fuisse: utrique (53, 1. 70, 1) pronomen »tuum« additur. Itaque isto modo puto verba simplicissime et aptissime emendari: praepositio »ad«, pro conj. copul. »ac« falso intrusa, casum accusativum naturali sua vi traxit.

ea de re scriptam intercessisse cogitemus. Talia nimirum non scribuntur utique nisi dum primus calor in animo residet. His omnibus efficitur cogiturque, ep. septuagesimam ante undequinquagesimam esse scriptam. — Longius autem est progrediendum. Scilicet qui est inter ep. 69 et 70 sententiarum nexus ac progressus, qui quidem non latebit accurate si comparaveris ultimam prioris paragraphum cum tota ep. 70; tum qui est inter 68 et 69 ep., manifestus ille quidem comparatis 69. §§. 2 et 3 cum ep. 68, vetat de una seorsum a reliquis iudicium fieri. Nec vero necessitas sola, hinc quae oritur, sed summa aliunde nata opportunitas vel maxime nobis commendat ac persuadet, ut tres illas (68. 69. 70) in priorem sedem, quae erit inter ep. 48 et 49, referendas esse statuamus. Primum enim epp. 48 et 68 conexum detegere nobis contigit. Ep. 48, 1 Lucilium cognoscimus consisilium quoddam cum Seneca communicasse. Rem haud exiguam esse, de qua consuluerat, inde apparet, quod et ipsi magna fuit haesitatio num consuleret, et est Senecae, antequam respondeat. De exteriore quadam re, non philosophica quaestione agi, maxime illis 'utique cum aliud tibi expediat aliud mihi' perspicitur. Seneca responsum differt, convertit se ad philosophorum captiosas disputationes irridendas. Responsum illud eo, qui nunc est, epistularum ordine nunquam reperitur. Quod etsi per se, si res exterior ageretur, non est mirum, suadeo tamen, ut isti ep. 48 initio conferamus ea quae sunt in ep. 68: 'consilio tuo accedo, absconde te in otio'. Otium illud Lucili, seu potius negotiorum deminutio, si qua alia res, ea fuit, de qua aliud Lucilio aliud Senecae expediret; illi nimirum propter rem familiarem ut in aliqua parte officii remaneret, huic ut relicta Sicilia statim Urbem repeteret. Cf. ep. 45, 2 'nisi mature te finem officii sperarem impetraturum'.

Ep. 69 locorum mutationem Lucilio suo philosophus noster dissuadet. Quod praeceptum vix eum crediderim daturum fuisse, nisi aut tum ipsum in itinere Lucilius esset aut modo redux factus. Nec vero ulla est in viginti eis, quae proximae sunt, itineris Luciliani mentio; quod contra illum locum, in quem hanc cum reliquis retulerimus, accurate in-

tuitis ep. 48 longum iter ab illo factum occurrit. — Cf. etiam sententiarum similitudinem quae est inter ep. 70 §§. 1. 2 et 49, 2, 3. 4. 5. Unde mihi persuasum est, tres illas epistulas (68—70) deinceps scriptas esse inter ep. 48 et 49.

Unum restat ut quaeratur quomodo ista ordinis mutatio facta esse videatur. Ego quidem persuadere mihi non possum, Fortem, cuius sane magna vis fuit ad evertenda ac revolvenda antiquitatis monumenta, hanc effecisse traiectionem; id quod reliqui, cum de ordine turbato coniicerent, videntur tacite statuisse. Videlicet aliae sunt in Annaeanis epistulis traditionis condiciones, atque in illa quaestione, quam de epistularum ad Atticum libri quarti fine Theodorus Mommsen ingeniose ac feliciter instituit. Neque enim de foliis falso ordine positis atque inter se confusis cogitare licet: nimium profecto Forti tribuamus, si salvis epistulis neque ulla sententiarum interruptione id factum putaverimus. Itaque consilio eius qui Epistulas edidit factum esse credo, ut aliter ordinatas ederet quam scriptae essent. Est quidem in ep. 48 et 49 communis quaedam res, ad quam quasi diversis ex partibus auctor accedit. Breviter aperiam quid sentiam; puto enim eum qui hoc epistularum corpus edidit, ut duabus illis in eadem re occupatis finitimas sedes daret, eas quae mediae erant tres in alienum locum (68. 69. 70) relegasse. Idem autem eius consilium, ut propter sententiarum similitudines ordinem immutaret, aliis quibusdam locis agnovimus. Etenim cum epp. 49—124 per eiusdem anni ver et aestatem ad autumnum usque scriptas esse statuerimus, unde satis assiduum fuisse epistularum scriptorem appareat, haud quaquam credibile est, mensium aut dimidiorum mensium intervalla singulis intermissa esse. Itaque quod haud semel duas continuo ordine positas reperimus, quarum in secunda quaque respondeatur ad Lucili epistulam, qua is de quaestione prius acta aliquid monuerat: vix credendus erit Seneca desedisse interim et, priusquam alios scriberet codicillos, id responsum exspectasse. Immo illas, quae secundum locum obtinent, epistulas aliquanto posterius scriptas cogitamus, quam earum sedes indicare videatur; sunt tamen, cum collectae omnes ederentur, prioribus illis, in quibus eadem quaestio ageretur, ad-

iunctae atque admotae. Cuius generis gemina paria, quae divortium non passa sunt, accipe ep. 66 et 67, 94 et 95; quibus haud scio an addendae sint ep. 74 et 75, 76.

Haec fere videntur certa esse mutati ordinis exempla. Praeterea autem saepius occurrunt epistulae duae tresve continuae, quarum perquam similia sint argumenta: ut merito dubites, utrum propter eam similitudinem sint ita collocatae an vere eodem tempore scriptae. Velut in epp. 88—90 tribus omnibus agitur de rebus quae ad notionem philosophiae finiendam dividendam circumscribendam pertinent. Cf. ep. 114 et 115 §. 1. 2. Per epp. 82, 83, 85, 87 series quaedam epistularum continuatur, quibus philosophorum vanas 'collectiones' impugnat; quae iuste videntur ordinatae esse; cf. 83, 8. 87, 11. Ep. 96—103 sunt Lucili epistulis evocata *μελετήματα*. Ab ep. 106 rursum series quaedam incipit, quae rescripta ad quaestiones a Lucilio positas, maxime de Stoicorum quibusdam decretis, continet. Redintegratur eadem inde ab ep. 116.

De editione operis cum varie dubitatum sit, ipsi nondum definite distincteque significavimus, quale nostrum esset iudicium. At enim ea ipsa res, quod et servati et mutati ordinis certum consilium deteximus, suadere videtur, ut eundem, qui scripserat, cui soli talis cura videtur sane tribui posse, edidisse statuamus. Quae Haasius olim ingeniose et acute exposuerat, ut post mortem auctoris epistulas editas esse demonstraret, ea a Iulio Bartsch (in progr. Anclam. 1870), tum a Ionasio (p. 66) idoneis argumentis sunt refutata. Quibus ut de summa rei plane assentior, ita singulos quosdam locos aliter atque Bartschius fecit constituerim (veluti ep. 13. §. 4 extr., quod enuntiatum videtur in §. 8 initio collocandum esse; diversa statuit B. p. 9—11). — Mortuus est Seneca mense aprili a. 65. Itaque si recte exposuimus, autumno anni 64 eas, quas nos habemus, epistulas confectas omnes fuisse, edendi tempus eum minime defecit. Ceterum continuatum esse id opus ex eis scimus, quae pusillus ille antiquarius et ingenii Annaeani obtrectator A. Gellius e l. XXII epistularum moralium maligne exscripsit; neque id officit, ne id quod hodie exstat epistularum corpus ante

mortem auctoris editum esse credamus, quoniam et priores undetriginta satis probabile est in publicum emissas esse, separatim a ceteris.

Anno p. C. sexagesimo secundo Annaeus Seneca cum Neronis invidia perculsus, fractis potentiae suae opibus, otium secessumque petiisset, ad alios actus animum referendi cepit consilium (cf. d. Otio cp. 2). Itaque quae praecipua ac dilectissima sibi semper fuissent studia, eorum fructus et quasi messem uberrimam duobus operibus condere instituit, Quaestionibus Naturalibus et Epistulis Moralibus. Utrumque per eosdem annos agitavit; priore tamen tempore (a. 62 et 63) magis ad Naturalia, posteriore (a. 64) ad Moralia potius incubuit. Fortasse autem neutrum ad eum, quem voluerat, finem perduxit.

III.

Non possum harum, quae supersunt, disquisitionum initium facere, quin ei viro summe reverendo, qui horum studiorum mihi et auctor primus fuit et adiutor liberalissimus, Francisco Buecheler, publice quoque gratias agam. Cuius ut alias utilissima fuere consilia, ita hac in re manifestum auxilium, quod mihi ea concessit ac commodavit, quae e codice Argentoratensi, fidelissimo illo libri Bambergensis socio ac teste, de scripturae discrepantiis accuratissime habet enotata. Quorum pretium hoc ipso tempore maxime adauctum est; postquam codex ipse communi patriae clade interiit.

Veniam autem rogare debeo, quod harum emendationum magnam partem sine argumentorum rationumque amplo apparatu edo. At enim maior pars in scriniis abscondenda fuisset, si accurate demonstrare singulas vellem et commendare. Ceterum satis apertum erit, quibus rationibus ductus unumquodque commentatus sim.

Ep. 22, 1 simpliciter emendandum est 'quaedam non nisi *praesenti* monstrantur' cf. § 2: tale consilium non tantum absentibus datur.

Ep. 26, 3. Verba corruptissima sunt, libera tamen lacunis. Seneca videtur scripisse: ' . . . diligenter excutere,

quae non possim facere, quae nolim *posse*; habiturus *aequi*, si nolim, *quidquid* non posse me *video*.' Non sibi differre ait, vetitusne pareat necessitati, an ipse volens libensque alicui rei renuntiet senex. *Aequi habere* (cf. parvi, magni h.) media est inter duas locutiones communes 'nihil pensi habere' et 'aequi boni facere.'

Ep. 33, 5. Res geritur et per lineamenta sua ingenii opus nectitur. Verba ista *res geritur* obscura mihi semper fuerunt. Quid dicere Seneca velit, non latet: opus ingenii totum quoddam esse et quasi corpus non dissolubile. Exigitur verbum notioni nectendi simile. Certum non reperi; suadeo tamen: '*restringitur* et . . . . . nectitur.'

Ep. 40, 4: quae veritati operam dat oratio, incomposita debet esse et simplex. Minime vero: *incompta* debet esse veritatem suasura oratio, non 'male composita', non ἄτακτος. Ipse nimirum paullo superius § 2 contrarium dixit, in philosopho pronuntiationem quoque debere esse compositam. Incompositum non dicitur nisi de rebus vituperandis, cf. Quint. 9, 4, 32. De oratione incompta vide quae Cic. Or. § 78 sqq. exponit, utpote re laudabili, quam mulieri inornatae venustae comparat.

Ep. 53, 7 extr. gravis sopor . . . animum altius mergit, utique nullo intellectu sui est. Haec edidit Haasius. — Codicum vestigia si sequimur singulasque litteras inter sese recte iungimus, haec efficiuntur verba vere Annaeana: sopor animum altius mergit, *quam ut in* ullo intellectu *sui sit*. Unum facile mutavimus: posuimus *sit* pro *est*.

Ep. 61, 1. Haasius: Desinamus quod voluimus velle; ego certe id ago senex: eadem velle quae puer *n*olui. — Librorum mss. auctoritate constant haec: *velle quae puer volui*; quibus immerito putavit Gruterus, dein etiam Fickertus et Haasius, inesse vitium. Est enim vero in voce *eadem*, quae, quia aliud significat atque editores voluerunt, omnes frustrata est, quicunque iustum et hoc scriptore dignum sententiarum acumen restituere conati sunt. Ego si ediderim Senecam, scripserim: ea de*sii* velle, quae puer volui. Error fuit facillimus, quibus temporibus ἰῶτα suo careret puncto sive lineola distinctiva.

Ep. 62, 2: Reducendum id quod in cdd. est: 'causa ex officio nata *civi*'. Bene latinum est: cogitando suppletur causa *mihi* nata.

Ep. 52, 5. Haasius haec edidit: 'inven*io* quicquid fecit alterius [*opifex*: *alterius*] magna pars et difficilis latet.' Sed priusquam isto modo cultrum admoveamus, libet commodiorum remediorum periculum facere. — In codicibus optimis legitur *inveniebo*. At inveniendi notionem parum apte videmur isti quod sequitur *latet* opponere. Proprie poni debebat *apparere*; minimum quod postulemus est *videre*. Itaque haec fere puto e monstro illo nasci verba saniora '*in uno video* quidquid fecit (sc. labor)'; alterius magna pars e. d. latet. Viam recti videor aperuisse.

Ep. 114, 1. Quaeris quomodo in quaedam vitia inclinatio ingeniorum facta sit, ut aliquando inflata explicatio vigeret, aliquando infracta et in morem cantici ducta.

Inflata explicatio tolerabilis est; *infracta* cogitari nequit. Duo membra inter se opposita haberi consentaneum est. Utraque adjectiva ad communem quandam notionem (orationis) pertinent, cuius diversa exprimant genera. Scribendum est inflata expli*cataque*. Ita demum membrorum fit aequalitas.

Nat. Qu. II, 4, 1: haud scio an magis probabile sit, scripsisse Senecam 'sic mundi pars est aer *quaedam* necessaria.'

N. Qu. II, 6, 2. Simplex verbum *teneri* nemo potest aliter accipere, nisi ut idem sit atque contineri. Contineri disiecta non posse, ipsi sciebamus neque erat quod doceremur. Ipsa syllogismi necessitate cogitur efficiturque emendandum esse *tendi*. Apte id quidem verbum proxima excipit; aptius excipitur eis quae subiiciuntur.

N. Qu. IV. praef. 10. Quid sibi velint ista 'quod *consecrari* malles quam *conteri*': ego me fateor non intelligere. Consecrari Gallionis ingenium etsi — sano quidem sensu victo — patiaris, tamen cur id dicatur conteri, parum perspicitur. Qua enim laude dignum ingenium aut contritum nescio quo modo aut conterendum? An immortalitatis cuiusdam fratrem vult Seneca esse participem? Immo aliena est haec cogitatio, praesertim verbis ipsis non indicata.

Sed facillime restituemus egregia: 'ingenium dignissimum quod cons*ecta*ri malles quam co*ntue*ri'. Dixeris haec ipsa tradita esse: adeo nihil mutatum est. Contueri congruum est illi 'suspicere coepisti'; consectari (vetus coniectura: v. cod. P. 4.) apud Ciceronem quoque est imitando consequi. Cf. § 13: ad hoc exemplar componere. — In eis quae sequuntur, *nummi* haud scio an defendendi sint, coll. ep. 17, 5: frugalitas est paupertas voluntaria sqq. Nummi quod pro opibus vel divitiis dicuntur, nolis mirari: quidni hunc eius vocis usum Horatii nobili exemplo ('virtus post nummos') consecratum existimemus? Haasius quos substituere voluit *novos mores*, eos si nec habuerit Gallio nec damnaverit, parum laudis videtur merere. Ceterum amat quidem Seneca transigere inter divitias et sapientiam, cf. de vita beata, cpp. 21—23.

N. Qu. I, 3 § 4 med. Importuna illa verba 'ut ait poeta' spuria sunt ideoque eiicienda. Nullum habent aptum neque in enuntiato neque in sententia locum.

Appendix. — Quam a re mea alienam esse volebam quaestionem de dialogorum tempore, eam de uno tamen cogor suscipere, quod hinc maxime apertum erit falsum esse Ionasium, cum Demetrii Cynici commemoratione ad maiorum illorum operum tempora definienda argumentando uteretur. Dialogum de vita beata ad Gallionem Seneca eo consilio scripsit, ut adversus obtrectatores vitae suae rationem defenderet. Comperimus quidem e Tac. Ann. XIII, 42, P. Suillium a. 58 infestissime eum increpuisse ac scelerum omni genere nomen eius inquinasse. Dio quoque 61, 10 multa opprobria, tum temporis Romae adversus Senecam iactata, enumerat. Suillium quidem acerba poena reus castigavit (Tac. XIII, 43); credibile tamen eum operam dedisse, ut invidiam quoque illam publica defensione averteret. In libello illo, maximo cp. XVII, ad talia Seneca respondet; ita quidem ut, etsi philosophi cuiuslibet defensio agi videtur, ipsum tamen sese respicere eluceat. Quae philosophis opprobria fieri dicit, eorum magna pars ipsa illa verba, quae apud Tacitum Dionemque leguntur, referunt. Quare Lipsius primus ad hanc

occasionem (a. 58) eum dialogum retulit. Ionasius quamquam de conexu illo non dubitat, tamen illo ipso tempore eum scriptum esse negat. Etenim is vir doctissimus ea quae de Sereni morte Sen. ep. 63, 14 dicit 'haec tibi scribo is qui Annaeum Serenum tam immodice flevi, ut inter exempla sim eorum quos dolor vicit' acute comparat cum hisce in dialogi nostri cp. XVII verbis 'damno moveris et. lacrimas audita coniugis aut amici morte demittis.' Hanc amici mortem adeo defletam illam esse Annaei Sereni. Atqui cum anno 62 librum de otio dedicatum Sereno esse sciamus, hunc nostrum dialogum postea scriptum esse. Sumit quidem Ionasius annum 63.

Haec ego existimo audacius coniectata esse. Simpliciter si quis illa verba legerit nec quaesierit ipse remotiora secretaque: generaliter ea, addita praesertim illis 'audita coniugis morte', ad illam referet in fronte eius cp. propositam sententiam: 'quare ergo tu fortius loqueris quam vivis'? Certum si quid eis significatur, nos hodie id agnoscere non possumus. Perlegentibus illum libellum ultro apertum est, non eum scribere, qui magna clade afflictus otium petierit, sed qui gratia potentiaque et divitiis valens atque aequalibus praevalens non argumentis tantum obtrectatores suos reiiciat, sed ex alto ipse securus in inferiores despiciat. Singulos placet commonstrare locos: cf. II, 3 et 4: 'vides istos qui eloquentiam laudant, qui *opes* sequuntur, *gratiae* adulantur, qui *potentiam* extollunt'; XXV, 3; 'novae gratulationes prioribus subtexantur' coll. Tac. XIV, 56. Adde similia XVII, 4 fin. XVIII, 2 fin. XIX, 2. Quod superest, compara huic eum quem de otio libellum scripsit post illum secessum suum. Diversa opprobria eo reiicit; diversus est ipsius animus; denique omnis ille dialogus huic fere contrarius. Post annum 62 non erat quod se defenderet contra istud opprobrium 'fortius loqueris quam vivis', vel si facturus esset, alia iam poterat arma induere, nec debebat ambiguo isto modo inter sapientiam Stoicam et potentiae opumque splendorem ac speciem transigere. Haec igitur sunt quibus huic dialogo suum tempus tribuatur indicia. Scriptus est cum Seneca imperatoris gratia etiamtum valeret, ante secessum illum a. 62

factum, post illa a Suillio a. 58 iactata crimina. Quodsi iuste intellexi ea quae cp. XV, 5—7 obscura scribit, in id tempus eum incidere statuerim, cum post Agrippinae caedem (a. 59) rursum Senecae fama meritis opprobriis adspergeretur. — Itaque apte iam alterum illud Ionasii argumentum refutabimus; qui vel solam Demetrii mentionem in aliquo Senecae libro factam argumenti loco se habere dicit, quo istum librum Senecam iam senem et a Nerone abalienatum scripsisse demonstretur. Commemoratur quidem Demetrius in dialogis de vita beata et de providentia scriptis, in septimo de Beneficiis, in quarto Naturalium Quaestionum, denique in Epistulis. At Ionasius solas epistulas aliis quoque argumentis effecerat post secessum scriptas esse. Quaenam igitur haec ratiocinatio? Concedimus nos quidem, et dialogum de providentia videri postea scriptam esse, demonstravimus quartum Nat. Quaestionum: nihil inde auctoritatis debilissimae illi ex inductione collectioni accrescit. Prorsus enim non intelligitur, qui sit inter secessum Senecae et Cynicum istum hominem conexus. Nimirum tales coniecturae, qualem de eius cum Demetrio consuetudine Lehmannus (Claud. 16) protulit, minime sufficiunt ad tempora definienda et accurate computanda. Contra certissime videmur demonstrasse, dialogum de vita beata *ante* a. 62 scriptum esse. Certum est praeterea (Benef. VII, 11) Demetrium iam Caligula regnante Romae fuisse notum. Itaque rectius statuemus, videri cum Cynico isto Senecae consuetudinem seni fuisse, quae quando inita sit definire nequeamus nec multum intersit definire.

Vita Friderici Schultess.

Natus sum d. 21. Aug. anni 1851 Druxbergae (qui pagus in Magdeburgensi regione situs est) Christophoro et Maria parentibus; quorum alterum, rerum sacrarum apud Druxbergenses ministrum, gaudeo superstitem esse, alteram vehementer doleo statim me nato praematura morte ablatam. Fidem protestor evangelicam. Elementis litterarum a patre imbutus anno 1861 gymnasium Magdeburgense, quod est ad Claustrum B. V., adii; quod tum senis gravissimi Muelleri florebat regimine. Contigit autem feliciter, ut per unum saltem annum Guil. Herbstio, v. cl., uterer magistro; qui cum alias optimorum mihi semper auctor et suasor fuit, tum ad antiquarum litterarum amorem animum adolescentis inflammavit praecipue. Leitzmannus per septem annos fuit tutor fidelissimus.

Auctumno anni 1868 Gottingam me contuli, ubi in proseminarium, mox etiam in seminarii classem extraordinariam Sauppii benignitate receptus sum. Inde verno tempore anni 1870 migravi Bonnam Rhenanam, philologicorum studiorum sedem lautissimam et celebratissimam. Ibi Buecheleri et Heimsoethi et Useneri insigni beneficio factum est, ut per tria semestria seminarii disciplina unice fructuosa instituerer. Docuere me Bergk Bernays Brugsch Buecheler de Leutsch Sauppe Usener philologi; Baumann Herm. Lotze J. B. Meyer philosophi; Schaefer de Sybel Wachsmuth historici; Diltheius archaeologus; Gildemeister sanscriticus; Joh. Schmidt lingua-

rum scrutator indogermanicarum; Birlinger Bohtz germanici; Bertheau Ehrenfeuchter Kamphausen Wagenmann theologi. Per sex menses Schaeferi constans erga me benevolentia tulit me inter historici sui proseminarii discipulos. Denique ut exercitationibus suis interessem liberalissime concesserunt: epigraphicis Buecheler, Aristoteleis Bernays; concedunt nunc quoque Buecheler ut intersim scholis philologicis, J. B. Meyer eis, quas de philosophia et arte paedagogica instituit. Quos viros omnes optime de me meritos esse grato animo semper profitebor. Sunt tamen, qui praeter ceteros veri cognitionem et scientiae viam aperuerint: Lotzii et Meyeri, Buecheleri Sauppii Useneri carissima mihi semper erunt nomina et praecipua cum veneratione colenda.

Sententiae controversae.

I. Sen. Qu. Nat. 3, 1, 1 et 3, 26, 6 (quorum locorum conexum difficile est non videre) haec scribo (cf. Koeler p. 464):

3, 1, 1: Eleus Siculis de fontibus exsilit amnis.

3, 26, 6: Hoc et a te creditum exstat in primo cet.

II. Ovid. ex Pont. III, 3, 43 legas: praemia nec Chiron ab alumno talia cepit.

III. Xen. Symp. 9, 7 scripsit: ὅπως τοιούτων τύχοιεν.

IV. Raumer in hist. paed. iniquius et parum liberaliter de J. J. Rousseau iudicavit.

V. Immerito quidam Symposii Platonici lectione discipulos prohibent.

VI. Virg. Aen. I, 396 recte Weidner (Comm. p. 172) comparationis rationem declaravit; idem acutius quam probabilius tradita defendit: scribendum videtur 'captis iam resp. vid.'

VII. Plat. Rep. 370. E. fin. part. ἂν tertia sede (ὧν ἂν αὐτοῖς χρεία) movenda est; similiter quidem media sede ap. Sen. ep. 41, 5. coll. Fickerti edit.

VIII. Nec merito neque impune negliguntur in gymnasiis elementa logices et psychologiae; de aesthetica autem institutione bene meruerit si quis ex Aristotelis Arte Poetica decreta principalia, exemplis et veterum et recentiorum illustrata, tum optimorum existimatorum de variis litterarum generibus praecepta ac iudicia commode in libellum pueris tractandum retulerit.

IX. Sen. dial. II, 7, 4 scribe 'remixtum'.

X. Senecae dialogi II et IX circa idem tempus scripti sunt (coll. IX, 7, 5—II, 1, 3—II, 7, 1).

XI. Eis quae Muetzell, Teuffel, nuperrime Eussner (Philol. XXXII, 157) de Curtii historici aetate exponunt, quem Claudio imperitante scripsisse statuunt, addiderim: verbis illis X, 9, 28 'huius ortus lucem *cali*ganti reddidit mundo' scriptorem ludere videri; quandoquidem ad istud verbum quivis homo Latinus imperatoris Caligulae nomen subaudire putandus sit.

XII. Ceterum censeo gymnasiorum discipulis facultatem linguae Anglicae discendae uberiorem esse comparandam.